Österreichische Nationalbibliothek

Introductio In Sacros Libros Novi Testamenti : [2]

Autor: Márkfi, Samu János
Ort: Budae, Budapest
Jahr: 1857

Zitierlink: https://data.onb.ac.at/rep/10775992
Signatur: 444-B.2
ID: 10775992

Digitalisiert mit Google

Umfang: Seiten 1 bis 290 (Komplettes Werk)
PDF erstellt am 04.09.2026 05:44

Nutzungsbedingungen:https://www.onb.ac.at/nutzung
Rechtehinweis:https://rightsstatements.org/vocab/NoC-NC/1.0/

Hinweis: Der Volltext wurde maschinell generiert und könnte aufgrund von OCR-Erkennungsfehlern Ungenauigkeiten oder fehlerhafte Zeichen enthalten.

KAIS.KÖN.HOF- BIBLIOTHEK
444-B
Neu-

S.a. i. H. 70.

444-B.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z224010500



INTRODUCTIO

IN

SACROS LIBROS NOVI TESTAMENTI.

PARS SPECIALIS.

In usum Auditorum scripta

a Samuele Márkfi,
Prof. publ. O. S. B.

BUDAE,
TYPIS CAESAREO-REGIAE UNIVERSITATIS PESTINENSIS
1857.

INTRODUCTIO

IN

SACROS LIBROS NOVI TESTAMENTI.

PARS SPECIALIS.

In usum Auditorum scripsit

S. SAMUELE MARTIN

Prof. publ. O. S. B.

BUDAE,

TYPIS CAESAREO-REGIAE UNIVERSITATIS FESTINENSIS

1857.

Monitum.

Specialem, cuius practica sit utilitas, librorum canonicorum notitiam non secus possidebitis, Optimi Auditores! nisi argumenti proprietatem in singulis libris probe discernatis. Huc vero egregie faciunt selectorum textuum verba fideli memoriae commendata, tum enarratio disputationum vel expositionum, quas loca quaedam graviora jam olim inter theologos, et praecipue Patres produxerunt. Itaque altera manu codex verbi Dei tenendus, altera vero Patrum commentarii adhibendi. Patres quippe scripturam eo spiritu tractarunt, quo facta est; quorum vos exempla aemulantes, tam virtuti, quam eruditioni vestrae bene consuletis. Et si subinde memoriam expositorum ope huius enchiridii renovabitis: multa vobis ingenium proprium, et candor animi suggeret, quae mente tractasse poenitebit nunquam. Valete, et pro beneficio sacrae scripturae Deo frequenter gratias agite.

Pestini die s. Marco evang. sacra, 1857.

S. M.

Monitum.

Specialem, cuius practica sit utilitas, librorum canonicorum notitiam non seeus possidebitis, Optimi Auditores! nisi argumenti proprietatem in singulis libris probe discernatis. Hinc vero egregie faciunt selectorum textuum verba fideli memoriae commendata, tum enarratio disputationum vel expositionum, quas loca quaedam graviora jam olim inter theologos, et praecipue Patres produxerunt. Itaque altera manu codex verbi Dei tenendus, altera vero Patrum commentarii adhibendi. Patres quippe scripturam eo spiritu tractarunt, quo facta est; quorum vos exempla aemulantes, tam virtuti, quam eruditioni vestrae bene consuletis. Et si subinde meminam expositorum ope hujus enchiridii renovabitis: multa vobis ingenium proprium, et candor animi suggeret, quae mente transire possit. Valete, et pro beneficio sacrae scripturae Deo frequenter gratias agite.

Festum die s. Marco evang. sacra, 1857.

S. M.

Index.

Introductio specialis.

Pag.

§. 1. Introductionis specialis argumentum, divisio et scopus . 1

SECTIO I.

Libri historici.

§. 2. Generales de libris historicis observationes 2

„ 3. Evangeliorum nomen, argumentum et numerus . . 4

Articulus I.

De evangelio secundum Matthaeum.

§. 4. Matthaei persona 6

„ 5. Lingva 7

„ 6. Tempus editi primi evangelii 10

„ 7. Scopus 12

„ 8. Prima duo capita sunt authentica 13

„ 9. Observationes de argumento huius evangelii . . 14

„ 10. Alia memorabilia circa argumentum eiusdem . . 17

„ 11. Quaestiones et dissertationes criticae in textum s. Matthaei 19

Articulus II.

De evangelio secundum Marcum.

		Pag.
§. 12.	Persona Marci	23
„ 13.	Tempus et locus editi secundum Marcum evangelii	25
„ 14.	Lingva	26
„ 15.	Marci relatio ad Petrum et Matthaeum	28
„ 16.	Authentia pericopae 16, 9—20.	30
„ 17.	De argumento	31
„ 18.	Pericopae ecclesiasticae, et quaestiones criticae	32

Articulus III.

De evangelio s. Lucae.

§. 19.	Auctoris vita	33
„ 20.	Tempus et locus editi evangelii	35
„ 21.	Elocutio et argumentum	37
„ 22.	Relatio trium priorum evangeliorum ad invicem	39
„ 23.	De concilianda genealogia s. Lucae cum ea, quae apud s. Matthaeum legitur	47
„ 24.	Lucae 22, 43. 44. authentia	50
„ 25.	Memorabilia de textu evangelii secundum Lucam	52
„ 26.	Pericopae solenniores et loca implexa	55

Articulus IV.

De evangelio s. Joannis.

§. 27.	S. Joannis evangelistae personalia adjuncta	56
„ 28.	Authentia evangelii 4-i	59
„ 29.	Integritas	62
„ 30.	Tempus et locus editi evangelii	65
„ 31.	Consilium Joannis in scribendo evangelio	67
„ 32.	Argumentum evangelii 4-i	71
„ 33.	Dispositio	73
„ 34.	Memorabilia de textu evangelii 4-i	75

Pag.
§. 35. Memorandi textus et pericopae 77
„ 36. Scopuli quidam in evangelio Joannis 78

Articulus V.

De libro Actuum Apostolorum.

§. 37. Auctor 79
„ 38. Actus apostolorum sunt fide digni 81
„ 39. Argumentum et consilium 86
„ 40. Tempus et locus editi operis 88
„ 41. Ordo temporum in Actibus apostolorum 89
„ 42. Memorabilia de textu Actuum apostolorum 90

SECTIO II.

Libri didactici.

§. 43. Indoles epistolarum biblicarum 92
„ 44. Pauli vita et indoles 95
„ 45. Ordo et divisio epistolarum s. Pauli apostoli 108

Articulus VI.

De epistola ad Romanos.

„ 46. Origo et status ecclesiae romanae 110
„ 47. Argumentum epistolae 113
„ 48. Observationes de habitu et textu epistolae 114
„ 49. Consilium s. Pauli in ep. ad Romanos 117
„ 50. Occasio, locus et tempus datae epistolae 118

Articulus VII.

Epistola I-ma ad Corinthios.

§. 51. Corinthus, et ecclesia Corinthi 119
„ 52. Causae scribendi epistolam, huiusque argumentum . 121
„ 53. Locus, tempus, et ordo datae epistolae 123

Pag.
§. 54. Usus theologicus et practicus epistolae I. ad Corinthios 125

Articulus VIII.

Epistola II. ad Corinthios.

§. 55. Adjuncta originis hujus epistolae 129
„ 56. Argumentum 130
„ 57. Eius utilitas, et loca critica 132

Articulus IX.

Epistola ad Galatas.

§. 58. De ecclesiis Galatiae 135
„ 59. Argumentum epistolae ad Galatas 137
„ 60. Tempus et locus, quo epistola ad Galatas data est . 138
„ 61. Notatu digna de textu 139

Articulus X.

Epistola ad Ephesios.

§. 62. Origo et dignitas ecclesiae Ephesinae 153
„ 63. Argumentum et primi lectores 155
„ 64. Adjuncta temporis et loci 157
„ 65. Observationes de argumento 158

Articulus XI.

Epistola ad Philippenses.

§. 66. Status ecclesiae Philippensis 160
„ 67. Occasio et argumentum 161
„ 68. Locus, tempus et reliqua notatu digna epistolae ad Philippenses 163

Articulus XII.

Epistola ad Colossenses.

Pag.

§. 69. Origo et adjuncta ecclesiae Colossensium 146
„ 70. Locus, tempus et argumentum 166
„ 71. Memorabilia alia de epistola ad Colossenses . . . 167

Articulus XIII.

Epistola I. ad Thessalonicenses.

§. 72. Notitiae historicae de Thessalonicensium conversione et adjunctis 169
„ 73. Argumentum locus et tempus 171
„ 74. Notatu digna de textu epistolae I. ad Thessalonicenses 172

Articulus XIV.

Epistola II. ad Thessalonicenses.

§. 75. Adjuncta epistolae II. ad Thessalonicenses 174

Articulus XV.

Epistola I. ad Timotheum.

§. 76. Historia Timothei 178
„ 77. Argumentum et hujus loca selecta 180
„ 78. Cetera notatu digna de hac epistola 181

Articulus XVI.

Epistola II. ad Timotheum.

§. 79. Scopus epistolae, et argumentum 186
„ 80. Locus et tempus, quo data est 187
„ 81. Memorabilia epistolae II-ae ad Timotheum 189

*

Articulus XVII.

Epistola ad Titum.

Pag.

§. 82. De Tito 191
„ 83. Scopus et argumentum epistolae 192
„ 84. Alia epistolae huius adjuncta . . . . . —

Articulus XVIII.

Epistola ad Philemonem.

§. 85. Occasio et reliqua adjuncta huius epistolae . . . 194
„ 86. Observatio in epistolam ad Philemonem 195

Articulus XIX.

Epistola ad Hebraeos.

§. 87. De controversiis circa libros canonicos in genere . 196
„ 88. Auctoritas canonica epistolae ad Hebraeos 198
„ 89. Difficultates 201
„ 90. Solvuntur 202
„ 91. Argumentum epistolae ad Hebraeos 204
„ 92. Auctoritati apostolicae non obstant notae internae . 205
„ 93. Ad quos data est epistola ad Hebraeos? 210
„ 94. Qua lingva scripserit Paulus epistolam ad Hebraeos? . 213
„ 95. Locus et tempus, quo ep. ad Hebraeos edita fuit . . 216
„ 96. Advertenda de epistola s. Pauli ad Hebraeos . . . 217

Articulus XX.

De epistola Jacobi.

§. 97. De epistolis catholicis in genere 218
„ 98. Auctor epistolae, quae dicitur Jacobi 219
„ 99. Argumentum 224
„ 100. Auctoritas canonica epistolae Jacobi 225
„ 101. Alia adjuncta 227

Articulus XXI.

De epistola I. Petri apostoli.

Pag.

§. 102. S. Petri acta et scripta 229
„ 103. Argumentum epistolae I-ae 231
„ 104. Primi lectores, locus et tempus exaratae epistolae . 233

Articulus XXII.

Epistola II. Petri.

§. 105. Authentia eius 235
„ 106. Argumentum 236
„ 107. Adjuncta temporis et loci 237

Articulus XXIII.

De epistola I. Joannis.

§. 108. Argumentum 238
„ 109. Memorabilia alia 240

Articulus XXIV.

Epistola II. Joannis.

§. 110. Adjuncta historica 243

Articulus XXV.

Epistola III. Joannis.

§. 111. Notatu digna de hac epistola 245

Articulus XXVI.

Epistola Judae.

§. 112. Argumentum 247
„ 113. Authentia . . . . . —
„ 114. Reliqua adjuncta 248

SECTIO III.

Articulus XXVII.

De Apocalypsi s. Joannis.

Pag.

§. 115. Auctor et character canonicus 249
„ 116. De argumento 251
„ 117. Locus et tempus editae Apocalypseos 253
„ 118. Memorabilia de Apocalypsi 254

Appendix.

§. 119. Interpretes Novi Testamenti 257

Introductio specialis.

§. 1.

Introductionis specialis argumentum, divisio et scopus.

Quae in parte generali introductionis biblicae traduntur: valent ad librorum sacrorum communem indolem et historiam noscendam. Ea tamen plenam ipsorum notitiam non praebent. Sunt enim diversae librorum canonicorum classes, quae singulae quaedam propria habent; imo occurrunt de libris in individuo sumtis propriae observationes, quoad originem, argumentum etc. Ut igitur scriptura novi foederis in suis partibus rite noscatur: specialiter de bibliorum classibus, atque singulis harum membris tractandum est, quod praestat introductionis pars specialis. Prout autem tres librorum classes distingvuntur, ita tres habet introductio specialis sectiones; in prima scilicet pertractantur libri novi foederis historici; in altera didactici; in postrema propheticus. — Singulae in tot articulos tribuuntur, quot sunt libri, articuli autem passim in plures abeunt paragraphos. —

Scopus introductionis specialis est historicam notitiam *) librorum singulorum ita procurare, ut tam exegesis, quam theologicus eorundem usus expeditior fiat.

*) Ad historiam libri noscendam optimo jure quaesiveris: quisnam fuerit, vel adhuc sit publicus eiusdem usus, vel

https://data.onb.ac.at/rep/10775992

SECTIO I.

Libri historici.

§. 2.

Generales de libris historicis observationes.

Historia est pretiosus ille fons cognitionum, quo tam tempora, quam spatia remota fiunt nobis praesentia. Hac face destituti erraremus in tenebris praeteritorum sine ductore. Praesertim hoc valet de historia biblica,

---

abusus; quos habuerit maioris nominis commentatores; qualesve fructus illius lectio, vel expositio tulerit. Haec itaque bene in Introductione attinguntur, ubi praesto sunt media, ad illas quaestiones respondendi; convenit enim ut studium biblicum ex ampla penu factorum historicorum et imprimis ex usu ecclesiae, tales quoque decerpat historicas notitias, quae scripturae practicam doceant utilitatem. Porro, quid vetat biblici studii materias ita tractare, ut praeter corticem ipsa quoque medulla scripturae penitius noscatur, et hoc scopo textus biblicus jam directe, jam aliud agendo quo largius combibatur? Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, dicit Salvator, non sitiet in aeternum. Scire scripturam, scientia sanctorum est, et memoria hoc onere gravida non circumferetur instar levissimi pulvisculi omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Exemplo praeivit s. Augustinus, qui ex variis bibliorum excerptis integrum librum confecit, et „Speculum“ inscripsit. Utinam ad hujusmodi speculum, oculis mentis propositum, detergantur maculae, quae scripturam recte intelligi impediunt. —

tam veteris, qaam novi testamenti, ceu gravissimarum notitiarum magistra, quae itaque in maximis generis nostri bonis est numeranda. Historia quippe reparatae salutis ob oculos ponit, quid Redemtor noster et Dominus Jesus Christus pro servando genere humano gesserit, vel sustinuerit; quomodo salutis viam in terris continuari disposuerit, quive fuerint eiusdem instituti felices progressus, opera primorum novae doctrinae praeconum adducti. Quid posset huiusmodi cognitionum defectum compensare? Aut, quomodo virtutis angustam semitam alacri animo prosequi valeremus, nisi exemplorum in historia propositorum vis traheret, fideique divinitus confirmatae certitudo adjuvaret? — Facta sunt, quae si fideliter exponantur, veritatis demonstrationem reddunt inexpugnabilem; nam stant in omne aevum firma, quaecunque interim eveniat inventionum, et cognitionum humanarum nova evolutio, quiscunque systematum philosophicorum vel naturalium successus. E quo patet, religionis auctoritatem per facta fide digne relata maxime commendari; et ideo historiam certam ipsa divina interventione roboratam, omni cum promtitudine esse amplectendam.

In censum autem historicorum novi foederis librorum veniunt evangelia et Actus apostolorum, quinque illi libri bibliothecae sacrae, quorum lacte christiani a puero nutrimur, et spiritu ad longam aeternitatis viam praeparamur. Sunt hi libri thesaurus ille, cuius valorem corrumpere, vel extenuare veritatis christianae osores maxime adnituntur; quia sentiunt hac arce expugnata facile sibi esse grassari. At, ut vidimus in introductione generali, ipsa haec pars canonis biblici maximo testium pondere, et numero confirmatur, sive quaeras authentiam, sive indubitatae fidei evidentiam, ut adeo post se trahat totam religionis christianae compagem. Nec est

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 19 von 290

ullus liber in orbe terrarum, qui toties descriptus, totque studiis et commentariis fuisset illustratus, prout evangelia, ita ut literatura eorumdem in montes jam excrevisse dici possit. Qui putaret, hoc vel casu, vel superstitione factum esse: vulnus rationis humanae sanitati infligeret, seque ad plenam lucem coecutire malle demonstraret. —

Jam vero historia evangelica ab aliis libris historicis insigniter differt. Est enim narratio, quae sub inculta veste corpus venustissimum continet, et quo saepius legitur, eo mirabilior apparet. Nihil hic ad infascinandum lectorem comparatum est, praeter candidissimam veritatem, cuius tanta est maiestas, quanta ipsius Dei, tanta pulchritudo, quanta coelorum. Auctores, qui scribunt, semet totos intra rerum magnitudinem abdunt, nec nosci quidem cupientes, tam parum erat curae, alios venari fines nisi veritatis exhibitionem; haec autem sive placeret lectorum genio, sive displiceret, proponitur ceu nullius apologiae indiga, sed de jure suo secura. An lector stupeat, nec ne, an potens, vel humilis legat: nihil horum stylum scriptoris vertit, sicuti non angitur de eo auctor, an saeculorum succedens cultura, per varias inventiones, et scientias historiam hanc aliquando impugnare velit, nec ne. —

Hanc indolem librorum historicorum praevie declarandam duximus, ut ex aequo aestimarentur, qui scopus est Introductionis. Jam nunc propius ad evangelia accedamus, quae tam inter canonicos, quam inter historicos libros in specie primum tenent locum. —

§. 3.

Evangeliorum nomen, argumentum et numerus.

Bene evenit, ut libri novam salutis viam et historiam annunciantes dicerentur evangelia seu bona

nuncia, dignius enim et verius non poterant insigniri, valebatque nomen istud instar svavissimae invitationis ad legendas res, novitate simul, et utilitate praestantes. Ceterum titulus iste primo tempore doctrinae christianae tribuebatur, cuius usus loquendi in bibliis multa sunt exempla *), deinde autem translatum est ad libros, Christi doctrinam et vitam enarrantes, quorum proinde auctores vocabantur evangelistae, licet alias hoc nomen quemvis praeconem revelatae doctrinae designet, qualis e. g. fuit Philippus, Act. 21, 8. Illud vero memorabile et omni reflexione dignum: multos quidem scripsisse commentaria de Christi dictis et factis, sola tamen 4 evangelia fuisse ab origine per ecclesiam recepta, reliqua vero prorsus neglecta, ita ut nec nomina apostolorum, falso praefixa, eisdem auctoritatem conciliarent. — Qua in re hebes sit, qui criticam ecclesiae sententiam in recipiendis canonicis libris non advertat. Quatuor igitur ecclesia catholica reveretur evangelia, ceu sacra, quorum auctores sunt: Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes. Praeter haec prodiit magna multitudo apocryphorum, qualia Eusebius Hist. eccl. l. 3. c. 25. memorat: evangelium Petri, Thomae, Matthiae. Alii notarunt evangelium secundum aegyptios, protoevangelium Jacobi minoris, evangelium Bartholomaei, Nicodemi, et secundum hebraeos vel 12 apostolorum, quod videtur varia recensio plus minus interpolata vel truncata fuisse evangelii secundum Matthaeum. — Sed haec amplius prosequi non vacat.

---

*) Matth. 4, 23. 24, 14. Marc. 16, 15. Rom. 1, 1. I. Cor. 4, 15. 9, 12. 14. Gal. 1, 6. 7. etc.

Articulus I.

De evangelio secundum Matthaeum.

§. 4.

Matthaei persona.

Primum in canone evangelium inscribitur: *κατὰ Ματθαῖον;* quae inscriptio (idem autem valet de inscriptione reliquorum evangeliorum) etsi non ab auctore sit praefixa: e vetustissima tamen aetate, origini libri proxima, descendit, dum auctoris memoria adhuc recens fuit, quod probatur ex publico librorum usu, qui inde ab origine in sacra liturgia sub nominibus auctorum praelegebantur; item ex antiquissimis codicibus, dictam inscriptionem in fronte gerentibus. De persona tamen Matthaei non plus in traditione certa conservatum est, nisi fuisse apostolum e 12 discipulorum numero, eundem scilicet, cuius vocatio, in ipso hoc evangelio c. 9. v. 9 succinctis verbis narratur: „Cum transiret Jesus, inquit auctor, vidit hominem sedentem in telonio Matthaeum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.“ Fuit ergo teloniator, portitor, quod genus hominum judaeis admodum erat invisum, et publicis peccatoribus adnumeratum, ut constat e scriptura sacra in qua publicanorum nomine notatur. — Causa odii fuerat, quod vectigalia pro Romanis gentilibus colligerent, et suo officio saepe ad injustas exactiones abuterentur. Matthaeus ergo hanc suam professionem literis mandando, victorem sui se exhibuit, et quamvis vocationem simplicissime narret, lectoris tamen attentionem excitare debet illa promtitudo, qua vocanti subito paruit. Observandum est etiam: praeter geminum par fratrum, scilicet Simonem et Andream, item Jacobum et Joannem

nullius e 12 discipulis, nisi Matthaei vocationem specialiter in bibliis exponi, quae distinctio Matthaeum ceu evangelistarum ducem, egregie commendat. Idem factum narratur a Marco c. 2, 14. et Luca 5, 27. 28. eo cum discrimine, quod ambo hi evangelistae vocatum a telonio non Matthaeum vocent, sed Levin. Haec tamen diversitas nominis nos non movet, quin de Matthaeo agi existimemus, quum cetera adjuncta bene conveniant. Constat autem apud hebraeos plures viros binomines fuisse. Videtur Levi nomen proprium viri, Matthaeus autem (donum Dei) epitheton fuisse, quod forte post vocationem assumsit, prout plures apostoli uti Petrus, Lebbaeus, Boanerges, Zelotes etc. Sententiam eandem de Matthaeo et Levi, tamquam una persona, patres quoque unanimiter tenent, et sic per traditionem fit prorsus certa. Fuit itaque Alphaei filius et in Capharnaum propriam domum possedit, cumque Christo amplum ministrare posset convivium, fortunae bonis haud penitus caruit. Aliud ex adjunctis vitae nostri evangelistae certo non constat; ne illud quidem, an placida, vel violenta morte apostolatum consummaverit, nec ad quas regiones evangelii lucem intulerit.

§. 5.

Lingva.

Tota veterum scriptorum series persvasum habuit, s. Matthaeum scripsisse lingva hebraica recentiore, seu aramaica. Primum saeculo 16-o ceperunt quidam eruditi idioma graecum tamquam natale evangelii primi adstruere, quos deinde multi sunt secuti, e numero tam protestantium, quam catholicorum. Signanter nostro tempore Leonardus Hugius hanc thesim magno eruditionis apparatu defendit; neque tamen antiquam traditionem

evertit, a cuius partibus adhuc plerosque stare videmus. Nec immerito. Est enim controversia haec historica, in qua traditio decidit. Quaerendum itaque, quid in antiquorum testimoniis de hoc facto depositum sit? Si jam veteres consulantur: nullum prudens remanet dubium, hebraice non autem graece editum fuisse primum evangelium. Tantus enim est consensus inter illos, ut fidem historicam pleno jure sibi vindicent. Si nempe in probanda authentia librorum canonicorum testibus iisdem plena defertur auctoritas: in hac aeque historica quaestione pariter audiantur, oportet.

Jam testes lingvae hebraicae sunt:

1-o. Papias apud Eusebium l. 3, c. 30 his verbis: „Matthaeus hebraico sermone divina scripsit oracula, interpretatus est autem unusquisque illa, prout potuit.“ — Eusebius quidem eum valde mediocris ingenii fuisse dicit, sed in re sensui externo patente, neque subtile ingenium requirente, qualis est lingva cuiusdam libri, tantum sana mente, sanisque sensibus opus est ad fide dignum testimonium depromendum.

2-o. Irenaeus. [1])

3-o. Origenes. [2])

4-o. Eusebius. [3]) Amborum, Origenis nempe et Eusebii testimonia peculiare pondus habent, propterea, quod in sententia de regno millenario Papiae adversarii, hic nihilominus idem cum illo tenent, sine dubio priscae traditionis potius, quam Papiae auctoritate inducti.

5-o. S. Joannes Chrysostomus. [4])

---

1) Adv. haer. l. 3. c. 1.

2) Ap. Eus. l. 6. c. 25.

3) Hist. eccl. l. 3. c. 24.

4) Homil. 1. in Matth. n. 3.

6-o. S. Hieronymus, [1]) qui simul ad hebraicum evangelium, quo utuntur Ebionitae ac Nazareni, quodque, inquit, „a plerisque vocatur authenticum Matthaei“ provocat, illudve se in latinum sermonem convertisse refert. Apparet igitur, aetate Hieronymi multorum communem fuisse persvasionem de hebraico idiomate evangelii primi, qui non ex Papia hauserunt omnes. Accedunt alii patres, quibus recensendis immorari opus non est, quum utique nullus in diversam abeat sententiam. Sed et per adjuncta alia verisimile est Matthaeum hebraice scripsisse. Si enim teste Origene, Eusebio et Hieronymo incolis Palaestinae suum destinaverat librum, qui lingvam graecam quidem passim callebant, at sacram suam hebraicam magis amabant: in Palaestina scribens probabilissime illam adhibuerit lingvam, qua in praedicatione vivae vocis usus fuerat, ut liber esset veluti continuatio, aut ut Eusebius habet, supplementum suae praesentiae et praedicationis. Itaque unanime antiquorum testimonium, secus etiam grandi verisimilitudine commendatum, plene evincit, evangelii secundum Matthaeum lingvam natalem fuisse hebraicam. Hinc textus graecus ejusdem versionem exhibet. Hujus quidem auctor ignoratur: omnia tamen svadent ex aetate apostolica ipsam descendere; et forte mox textui hebraico successisse. Lingvae enim graecae cognitione satis inter hebraeos diffusa, rei gravitas ferebat, ut plures etiam, teste Papia, interpretationem tentarent, donec praesens, quam habemus sive ob auctoritatem interpretis, sive ob praestantiam laboris communi usu et voto reciperetur.

---

1) De viris ill. c. 3. Praef. in evang. ad Damas.

§. 6.

Tempus editi primi evangelii.

Eusebius historiae eccl. l. 3. c. 25. sic scribit: „Matthaeus cum hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit.“ Relatio ista, rei naturae per se conformis, tempus editi a Matthaeo evangelii illud determinat, quando deserta Judaea in alias oras praedicaturus iter suscepit, firmaturque per lingvam libri hebraicam, utpote quae florentem civitatem hebraicam supponit. Si tamen annus ipse sit determinandus, magna exsurgit incertitudo, propterea, quod tempus discessionis defigi nequeat. Hinc omnes quidem testes Matthaei evangelium primum fuisse editum fatentur, at in determinando anno variant, dum alii annum ab ascensione Christi 8-um, alii 15-um vel hoc etiam seriorem ponunt. In hac fluctuatione nonnihil subsidii fert s. Irenaeus, cujus verba, etsi presse sumta longe diversum tempus indicare videantur: satius tamen judicamus ea conciliare, quam ceteris omnibus opponere. Dicit quippe, Matthaeum scripturam edidisse evangelii, cum Petrus et Paulus Romae praedicarent et ecclesiam fundarent. Nullam veri speciem habet praesumtio illa, s. Irenaeum alias tam in oriente, quam in occidente versatum, vel ignorasse communem de tempore editi a Matthaeo evangelii traditionem: vel eidem contradicere voluisse. Jam vero alterutrum admittatur, oportet, si verba nullam patiuntur prudentem inflexionem, aut correctionem. Cum enim Petrus et Paulus nonnisi postremis vitae annis praedicaverint simul Romae: sequeretur e testimonio Irenaei ad rigorem sumto Matthaeum nec tam mature, prout omnes alii perhibent, nec

etiam primum scripto evangelio inclaruisse; ut taceamus, Paulum ecclesiam romanam non fundasse, sed tantum confirmasse. Restat igitur, ut Irenaeum dicamus id commisisse, quod cuivis auctori, et in usu quotidiano gravibus quoque viris accidere solet, ut plus in verbis aliquando haereat, quam in intentione. Si itaque Pauli nomen per hysterologiam ponamus additum fuisse Petro, quod facile fieri potuit propter hos principes apostolorum plerumque simul memorari solitos: difficultas mox resolvitur, et origo primi evangelii juxta Irenaeum quoque ad illud tempus assurgit, quo Petrus primum Romae evangelizabat, inter annum 42 et 47. Nec obstant argumenta interna, quae ex ipso evangelio pro sera origine peti solent, qualia sunt: „usque ad hodiernum diem“ 26, 8. 28, 15, deinde „a sangvine Abel justi usque ad sangvinem Zachariae filii Barachiae“ 23, 35. vel „Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat“ 24, 15. Formula enim: „usque in hodiernum diem“ non postulat certum numerum annorum ab eventu praeterlapsorum: sed moram aliquam temporis, quae in consideratione diversorum scriptorum jam longior, jam brevior esse potest. Locus vero de sangvine Zachariae filii Barachiae non cogit de caede Zachariae filii Baruch cogitare, qui flagrante jam seditione occisus est inter templum et altare. Christus enim loquitur de praeteritis delictis; iste autem triginta et amplius annis postea fuit sublatus. Denique versus 15. capitis 24. „qui legit intelligat“ etc. ad contextum propheticum optime quadrat, ceu praevia admonitio de signis imminentis vindictae divinae; e contra, si sic exponantur, tamquam sacer auctor sibi totam illam calamitatem ceu praeteritam vel actu grassantem repraesentaret: merae coniecturae plus roboris tribuitur, quam omnibus argu-

mentis historicis, quae pro matura primi evangelii origine pugnant.

§. 7.

Scopus.

De scopo cuiusvis libri informamur propria auctoris expositione, aut si haec desit, aliis indiciis partim externis, partim internis. Primum in evangelio Matthaei frustra quaeras; nusquam enim scopum suum ipse declaravit. Restat igitur, ut vel testes audiantur, vel notae internae scopum indicantes colligantur. Porro testis vicem obit Eusebius, dum refert Matthaeum per evangelium scriptum aliquod suae praesentiae surrogatum dare voluisse. Propius autem nos ad intentionem Matthaei deducit analysis evangelii, et maxime reflexiones eiusdem tenoris identidem recurrentes. Hae namque docent, veritatem illam, ad quam reflectunt, animo scriptoris continuo obversatam et instar finis, quem scriptor assequeretur, fuisse propositam. Exempla huius generis reflexionum leguntur Matth. 1, 22. 2, 15. 17. 23. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 21, 4. 26, 54. 56. 27, 9. 35. Quisque videt, tot citationes idcirco repeti, ut lector observet prophetias veteris foederis in Christo implementum habuisse, quod et formula citandi exprimit: „Tunc adimpletum est, quod dictum est“ etc, vel: „Hoc autem totum factum est, ut impleretur“ etc. Matthaeus igitur hactenus historicum indicat scopum sui commentarii, siquidem historici est, eventus prophetiarum, tamquam facta memoratu digna enarrare. Quoniam autem in demonstrato prophetiarum messianarum implemento illa latet consequentia dogmatica: Christum revera esse Messiam a prophetis praedictum, patet: ad hanc veritatem persvadendam totum evangelium collineare, proinde scopum Matthaei historico-do-

gmaticum esse, in eoque consistere, ut judaei agnoscant Christum esse Messiam illum, quem prophetae veteris foederis cecinere. Scopus hic judaeis egregie conveniebat: iste enim fuit cardo, circa quem opus conversionis judaeorum maxime versabatur. Quare ipse Christus effatis propheticis legationem suam saepe comprobabat et principes apostolorum Petrus et Paulus in suis orationibus ad prophetas frequentissime provocabant, quorum ductum secuti Beroenses (Act. 17) „quotidie scrutabantur scripturas, si haec ita se haberent." Porro scopus iste confirmat nostrum assertum, tam de tempore, quam de primis lectoribus et lingva evangelii secundum Matthaeum, ut facile quisque observet: omnia haec adjuncta pulcherrime conspirare; quapropter, etiamsi singula per se ad oculum non possint demonstrari, mutuus tamen concentus datam de singulis sententiam egregie confirmat.

§. 8.

Prima duo capita sunt authentica.

Visum fuit quibusdam recentiori tempore, duo capita evangelii secundum Matthaeum in quibus genealogia et infantia Christi describitur, quoad authentiam, in dubium vocare; verum argumentis tam levibus pugnant, remque tam certam aggrediuntur, ut refutatione non sit opus, nisi simul renovare velimus memoriam praecipuorum testium, qui dum pro dictis capitibus testantur, una totius evangelii authentiam comprobant, nihil inter hanc partem, et reliquum corpus, quoad originem discernentes. Occurrunt igitur vestigia evangelii, et in specie argumenti in exordio contenti:

1-o apud Ignatium martyrem, qui in epistola ad Ephesios meminit stellae, nativitatem Christi indican-

tis, et loquitur de Christi nativitate ex virgine. Haec cum in evangelio nostro occurrant, longe probabilius est, respici istud, quam rem e sola traditione proferri. Ignatius enim alibi quoque verba nostri evangelii adhibet, itaque illud novit. *)

2-o apud Justinum martyrem in dialogo cum Tryphone, ubi auctor narrat adventum magorum etc.

3-o apud s. Irenaeum, (l. 3. adv. haer. c. 9. etc.) Tertullianum, Julium Africanum saeculi 2. scriptorem, Celsum ab Origene refutatum, Cerinthum etc. Habent genealogiam omnes codices cum reliquo corpore evangelii, si forte unicus excipiatur latinus Harlejanus sec. 7. vel 8. qui in margine ad calcem cap. 2. hanc exhibet adnotationem: „Explicit genealogia, incipit evangelium Matthaei.“ Sed nota est a manu posteriori adjecta, et contra unanimitatem reliquorum testium utique nullius ponderis. Accedunt argumenta interna luculentissima. Eadem enim in his capitibus est elocutio et argumentatio, quae per totum evangelium; similis prophetiarum usus, denique arctus capitis 3. cum prioribus nexus; nam etsi verba: „In diebus autem illis“ non successionem chronologicam significent; conjunctio tamen, et provocatio ad priora tempora manifeste indicat aliquid a scriptore jam praemissum fuisse.

§. 9.

Observationes de argumento huius evangelii.

Matthaeus in compendio nativitatem, doctrinam, et res gestas Christi narrat. Breviter quippe munus historici exequitur, ut argumentum libri ostendit, in quo nec

*) E. g. ep. ad Rom. 6. coll. Matth. 16, 26. ad Polycarp. 2. coll. Matth. 10, 16. ad Smyrn. 6. coll. Matth. 19, 12.

doctrinam, nisi in fragmentis, nec facta plene describit, sed illa potissimum, quae Christus in Galilaea egit, praeter ultimum pascha Hierosolymis peractum eiusque accidentia.

Ordo narrationis collatus cum historia Marci et Lucae non est ubique chronologicus; nam quaedam prius narrantur, quam series rerum gestarum postularet. Sed hac libertate Marcus quoque et Lucas aliquando utuntur; unde sequitur, chronologiam in sacris libris haud anxie quaerendam esse.

Matthaei evangelium juxta nunc receptam divisionem numerat capita 28, et versus 1071. Complura capita fere solam doctrinam continent, uti 5. 6. 7. 10. 11. 13. 18. 23. 24. 25.

Si relatio ad reliquos evangelistas adtendatur, haec occurrunt in Matthaeo propria:

1) Cap. 1. et 2. in quibus genealogia et nativitas Christi, item adventus magorum, infanticidium, fuga in Aegyptum, et reditus in urbem Nazaret proponitur.

2) Orationis montanae (cap. 5. 6. 7.) et instructionis apostolis datae (cap. 10.) pars maxima.

3) Multae parabolae, uti: de zizaniis, thesauro, margarita, sagena (cap. 13.), de rege cum servis rationem ponente (cap. 18.), de operariis in vinea (cap. 20.), de duobus filiis (cap. 21.), de convivio nuptiali (cap. 22.), de 10 virginibus (cap. 25).

4) Descriptio judicii novissimi. (cap. 25.)

5) Minora segmenta non pauca, e. g. 9, 27—38. 11, 28—30. 14, 28—31. 16, 17—19. 18, 15—18. 28, 16—20 etc.

6) In historia passionis, quam in 26. et 27. capite describit, solus narrat desperationem Judae proditoris, et emtionem agri (cap. 27.), item coruptionem custodum sepulchri. (cap. 28.)

Loca selecta, quae propter frequentiorem usum memoriae imprimenda commendamus, jam quidem in parte generali plura excerpsimus, *) hic vero accipe sequentia:

„Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos“ 5, 44—45.

„Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut, quomodo dicis fatri tuo: sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fatris tui.“ 7, 1—5.

„Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam“. 9, 37—38.

„Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.“ 10, 28.

„Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum svave est, et onus meum leve.“ 11, 28—30.

„Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.“ 18, 3.

*) Vide sis p. 190—206.

§. 10.

Alia memorabilia circa argumentum eiusdem.

Speciali memoria digna est in hoc evangelio oratio Christi, quae dicitur montana, quia in monte habita fuit. Jam in externis circumstantiis aliqua solemnitas observatur. Christus nempe in alto positus, et praeter apostolos maxima populi turba circumdatus, doctorem se exhibet cum auctoritate praecipientem, quare auditores capti veritatum splendore, et docentis majestate, admirabantur super doctrina eius, erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei. Praeipue ad lucrandos auditorum animos comparatum fuit exordium, in quo diversas beatorum classes a vulgari hominum opinione prorsus recedendo exponit, deinde magnam attentionem movit liberalis illa correctio vel perfectio doctrinarum antiquarum, usus pulchrarum similitudinum a rebus naturae sub libero coelo desumtarum denique fortis conclusio. Estque haec oratio adhuc semper elegantissimum divinae institutionis exemplum, quod legat nemo, quin a lectione spiritu renovatus recedat. Gravitati eius tribuendum, quod specialibus commentariis fuerit illustrata. Huc pertinent praeter alios:

1. S. Augustini, De sermone Domini in monte secundum Matthaeum libri duo. Idem s. Doctor totam orationem montanam in suo „Speculo“ descripsit.

2. Alphonsi Salmeronis e S. I. Commentaria in historiam evangelicam. Coloniae Agrippinae 1604 fol. 16 voluminibus, quorum quintum agit „De sermone Domini in Monte.“

3. Bergpredigt Jesus Christus, kritisch-historisch-practisch erklärt von Dr. G. Riegler. Bamberg 1844.

Alia longe celeberrima pericopa huius evangelii est 16, 13—19. ubi Christo interrogante: Quemnam dicant

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 33 von 290

homines esse filium hominis, Petrus illum confitetur, Christum filium Dei vivi et collaudatur accepta promissione clavium. Locus vere fundamentalis, quia fundat ecclesiam super petram perpetuo duraturam, ut nec portae inferi praevaleant adversus eam. De illo commentando praeter plurimos alios bene meruere:

Maurus Capellari (postea summus pontifex Gregorius XVI.) opere: Il triomfo etc., germ.: Triumph des h. Stuhles und der Kirche etc. Augsburg 1833 8. maj.

Carolus Passaglia e S. J. libro praestantissimo, cui titulus: Commentarius de praerogativis B. Petri. Ratisbonae 1850.

Pericopae solemniores, quas ecclesia catholica in usu liturgico ex evangelio s. Matthaei praelegit, noscendae sunt, quia publicum evangelii usum cum utili memoria factorum celebrandorum docent. Notamus in specie sequentes:

1, 1—16. genealogia Christi pro festo Conceptionis et Nativitatis B. Mariae Virginis.

2, 1—12. de adventu et adoratione Magorum pro festo Epiphaniae.

4, 1—11. de tentatione Christi pro Dominica 1-a quadragesimae.

5, 11—12. octo beatitudines pro festo OO. SS.

16, 13—19. de Petri confessione et encomio, pro festo SS. Petri et Pauli ap.

18, 1—10. de scandalo pusillorum pro festo SS. Angelorum Custodum.

20, 1—16. de operariis in vinea pro Dominica Septvagesimae.

23, 34—39. de Jerusalem occidente prophetas, pro festo S. Stephani Mart.

28, 18—20. de docendis et baptizandis gentibus in nomine P. et F. et Sp. S., pro festo SS. Trinitatis.

Nota 1. Memorari meretur controversia exegetica, quam Laurentius Isenbiehl circa a 1773 excitavit, verba Isaiae 7, 14. a Matthaeo 1, 22—23. citata, non de virgine Maria, sed alia, Isaiae tempore vivente, interpretando. Qua expositione cum tam auctoritas Matthaei, quam sanctorum patrum, totiusque ecclesiae catholicae unanimis consensus laederetur: Isenbiehlius munus professoris Theologiae amisit, imo post evulgatum suum tractatum omnibus functionibus sacris interdictus, et custodiae traditus est. Ipse autem summus pontifex a 1779. librum eius, propter doctrinas et propositiones falsas, perniciosas, imo haereticas damnavit, causamque, quantum ad verum sensum tam prophetiae, quam allegationis per Matthaeum factae, in perpetuum decidit. Ceterum Isenbiehlius bullam pontificis ore et calamo approbavit, suisque assertionibus retractatis, libertatem recepit.

Nota 2. Haud otiosum fuerit, in memoriam revocare tria celeberrima artis monumenta, in quibus usus evangelii nostri factus est. Sunt autem: ecclesia s. Petri Romae, continens ita dictam confessionem Petri, et inscriptionem Tu es Petrus etc. monumentum architecturae, idea illa, quam repraesentat, dignum. Tum duae picturae, in toto orbe principes, nempe: transfiguratio Christi a Raphaele, tamquam typus pericopae Matth. 17, 1—9. et judicium novissimum parietibus Capellae Sixtinae in Vaticano impressum (fresco) in suo genere nulli secundum, instar commentarii ad Matth. 25, 31—46.

§. 11.

Quaestiones et dissertationes criticae in textum s. Matthaei.

Singuli libri canonici continent aliqua loca difficiliora, quae diversis quaestionibus praebent ansam, et

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 35 von 290

cum non sint de fide, a catholicis quoque interpretibus vario modo solvuntur. Quaestiones huiusmodi utpote ad codicem divinum plenius intelligendum pertinentes, dignum sunt piae indagationis objectum, atque lucubrationes in illas editae, vel ideo cum fructu leguntur, quia passim etiam aliis connexis materiis lucem affundunt, et ad eruditionem biblicam multum conferunt. Itaque sacrarum litterarum studiosis utile simul ac jucundum fuerit in difficultatum exegeticarum notitiam tantisper introduci, ut more nautarum, antequam a littore solvant ingens araturi aequor, scopulos et ventos, quibus occurrendum fuerit, praevie noscant, et vel contra audentiores eant, vel propriae insufficientiae sensum in versanda scriptura modeste conservent. — *)

*) Olim viri magni in deliciis habebant quaestiunculas de scriptura sibi invicem mittere, et amica concertatione verbum Dei declarare, vel certe imperiti a doctioribus nodos biblicos petebant solvi. Quis hanc diligentiam damnet? Quis inter arida vitae negotia talium epistolarum sales non aestimet? Fieri solet nescio qua providentia, ut hujusmodi communicatio utrique parti bene cedat, et quod privato studio non patebat, ad mutuae caritatis et docilitatis lucem complanetur. Sed juvat summos viros de voluptate et fructu biblici litterarum commercii audire:

S. Damasus Romanus Pontifex ita scribit Hieronymo: Dormientem te, et longo jam tempore legentem potius, quam scribentem, quaestiunculis ad te missis excitare disposui: non quo et legere non debeas; hoc enim veluti quotidiano cibo alitur et pingvescit oratio: sed quod lectionis fructus sit iste, si scribas. — Itaque, quoniam et heri tabellario ad me remisso, nullas te jam epistolas habere dixisti, exceptis his, quas aliquando in eremo dictaveras, quasque tota aviditate legi atque de-

Porro in expediendis locis difficilioribus generatim quidem commentatores biblici sunt consulendi, quorum

---

scripsi, et ultro pollicitus es te furtivis noctium horis aliquas, si vellem, posse dictare; libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram etiamsi negasses. Neque vero ullam puto digniorem disputationis nostrae confabulationem fore, quam si de scripturis sermocinemur inter nos: id est, ut ego interrogem, tu respondeas. Qua vita nihil puto in hac luce jucundius, quo animae pabulo omnia mella superantur. Quam dulcia, inquit, propheta, gutturi meo eloquia tua, super mel ori meo. Nam quum idcirco, ut ait praecipuus orator, homines a bestiis differamus, quod loqui possumus: qua laude dignus est, qui in ea re caeteros superat, in qua homines bestias antecellunt? Accingere igitur, et mihi quae subjecta sunt dissere."

S. Hieronymus ad Marcellam (ep. 59): „Magnis nos provocas quaestionibus et torpens otio ingenium dum interrogas doces."

S. Augustinus ad Hieronymum (ep. 73 ed. Ben.) „Vellem abs te audire, quid sentias. Vide, quid faciant terrae ac maria, quae nos corporaliter dirimunt. Si haec epistola mea, quam legis, ego essem: jam mihi diceres, quod quaesivi; nunc vero quando rescribes? quando mittes? quando perveniet? quando accipiam? et tamen utinam quandoque fiat! quod tam cito fieri non posse, quam volumus, quanta possumus tolerantia sustinemus. Unde recurro ad illa verba epistolae tuae dulcissima, sanctique desiderii tui plenissima, et ea facio vicissim mea: Utinam mereremur complexus tuos, et collatione mutua vel doceremus aliqua vel disceremus: si tamen esse ullo modo posset, quod ego te docerem."

amplum selectum dabimus ad calcem; in specie tamen commendamus monographias aut dissertationes in talia loca separatim exaratas, quia statum quaestionis ambobus, ut ita dicam, brachiis complecti solent, et recensitis aliorum opinionibus lectoris cognitiones firmant et dilatant. E magno numero subsidiorum huc facientium, in quantum ea imperfecte noscimus, tyrones biblicos ad sequentia imprimis reflectimus.

1. Guilielmi Estii Annotationes in praecipua ac difficiliora sacrae scripturae loca.

2. Martini Vouters Dilucidationes selectarum s. scripturae quaestionum. Virceburgi in 6 tomis.

3. Augustini Calmet Dissertationes in singulos s. scripturae libros, separatim quoque editae Augustae Vindelicorum 1732 duobus tomis in folio, et Tirnaviae in 8.

4. Opus novissimum Franc. Xav. Patritii De evangeliis. Friburgi Brisgoviae 1853 duob. t. in 4-o.

Scripta quoque periodica melioris notae saepe thesaurum biblicae eruditionis offerunt. Illud tamen suapte intelligitur nullum exegetam per se dono immunitatis ab errore gaudere, nec aliorum collationem, propriique judicii usum supervacaneum reddere. Jam circa textum Matthaei quaeri solet inter alia:

1) Ad 1, 18—20. Quod genus Josephi, quomodo eius connubium, somnium, propositum, intelligendum? — Cf. Estium, ad hos versus; Calmetum, in supracit. operis t. 2. p. 421—427. Patritium l. 3. p. 122—132.

2) Ad 2, 1. Quo anno et die Christus natus est? — Vouters P. 5. pag. 61—73. Patritius l. c. p. 277—291. Sed cf. etiam dissertationem ejusdem XIX. —

3) Ad 2, 1—12. Qui fuerint Magi; unde, quando venerint, qualem stellam viderint, qualem infanti cultum

praestiterint? — Estius ad hanc pericopam; Calmet l. c. p. 63—68. Vouters l. c. p. 73—86. Patritius p. 309—354. —

4) Quando contigit caedes puerorum, quae illius adjuncta? Vouters. pag. 86—89. Patricius pag. 375—388.

5) Ad 2, 23. Quo sensu vocabatur Christus Nazaraeus? — Estius ad h. l. — Vouters p. 89—91. Patritius p. 406—408.

6) Ad 11, 2—3. Quando, et quo scopo misit Joannes b. legatos ad Christum? S. Hieronymus ep. 121 ad Algasiam quaest. 1. Estius ad h. l. Vouters p. 198 seq.

7) Quis est Zacharias, filius Barachiae? (Matth. 23, 35) Estius ad h. l. Vouters p. 271—280.

8) Ad 26, 17—24. Quae est prima dies azymorum, qua Christus coenam ultimam peregit? — Calmet p. 69—77. Vouters p. 334—358. — Patritius p. 498—515.

9) Quid de somnio uxoris Pilati tenendum? Matth. 27, 19. — Estius ad h. l. Vouters p. 391.

Haec per exemplum, ad excitandam discendi alacritatem. Sunt utique etiam aliae quaestiones criticae, et alii ipsarum tractatores, sed hoc in praesenti loco tantum insinuasse sufficiat; plura docebit tempus et usus.

Articulus II.

De evangelio secundum Marcum.

§. 12.

Persona Marci.

Secundum in canone evangelium inscribitur Marco tanquam auctori, in cuius vitae adjunctis enarrandis

magnam undique caliginem experimur. Quae partim s. scriptura, partim traditio ecclesiastica de illo connotavit, pauca, nec extra omnem posita sunt controversiam. Nomen Marci quidem octies occurrit in bibliis *): at incertum, an eadem semper intelligatur persona, seu an, apud Petrum qui legitur Marcus, idem sit cum Marco apud Paulum, et in Actibus Apostolorum, ubi trinis vicibus vocatur Joannes, qui cognominabatur Marcus. — Nos patrum loquendi rationem considerantes, qui Marcum evangelistam nec Joannem nominarunt unquam, nec Pauli discipulum: Joannem Marcum distinquimus a Marco discipulo et interprete Petri, in qua opinione nos confirmant argumenta ex historia biblica desumta. Joannes Marcus enim toties in societate Pauli invenitur, ut simul comes, et interpres Petri vix esse potuerit; imo, si recte sentimus de tempore et loco scripti secundi evangelii, cum eodem tempore Marcus Romae, et in Asia esse non potuerit: evangelista cum Petro Romae versatus, a Joanne Marco apud Paulum eodem tempore fungente diversus dicatur, oportet. Sic vero de evangelistae origine, conditione, rebusque gestis praeter scriptum evangelium, et fundatam ecclesiam Alexandrinam, cui praefuit, vix aliquid constat. Antiqui titulum discipuli et interpretis Petri ei tribuunt, quod alterum vario modo accipitur; verisimiliter a scripto evangelio, quod Petri doctrinam veluti interpretatur, seu annunciat, adhaeserit ei nomen interpretis; ἑρμενευειν enim ab Hermete Jovis nuncio sensum annunciandi tradendi admittit. Lucas quidem in simili relatione ad Paulum positus non dicitur interpres: at quis defendat consvetudinum legem inviolabilem? Petrus ipse in citato loco vocat eum filium

*) Act. 12, 12. 25. 15, 37—39. — Coloss. 4, 10. II. Timoth. 4, 11. — Philem. 24. I. Petri, 5, 13. —

suum, sive quod eum ad religionem christianam converterit, sive quod eius ministerio in exercendo munere apostolico uteretur, vel ob utrumque. Nec audiri merentur, qui de filio proprie intelligendo cogitant: quoniam nullam suae opinionis rationem possunt assignare; sensu vero spirituali saepius usurpatur in scriptura, praesertim s. Paulus Timotheum, carissimum suum discipulum et comitem pariter plus una vice filium vocat; sic etiam Titum, et in epistola ad Philemonem Onesimum quoque, quem se dicit in vinculis genuisse. Quo anno desierit vivere: incertum est. —

§. 13.

Tempus et locus editi secundum Marcum evangelii.

Si relationem s. Irenaei communi antiquorum traditioni componere velimus: id quidem non sine benigna verborum eiusdem interpretatione obtineri, nihilominus eo fidentius tentari potest, quod ipse Irenaeus Marci evangelium secundo ponat loco, temporis absque dubio rationem secutus. Magnus quippe veterum in eo cernitur consensus Marcum a Matthaeo secundum scripsisse *), idque subscriptiones codicum, quantumvis in anno et loco varient, tum locus evangelii in canone confirmant. Jam vero teste Irenaeo Marcus librum suum edidit post exitum apostolorum, quae verba, si non de morte Petri (Pauli nomen propter posteriorem societatem hic abundare censemus) sed exitu ab urbe Roma intelligantur: sequetur, Matthaei evangelium quidem Petro Romae praedicante, Marci vero eodem in Orientem revertente,

*) Orig. ap. Eusebium Hist. 6, 25. Euseb. ipse; Hieronymus, Augustinus etc.

editum fuisse *). Incidit igitur publicatio evangelii secundi in quintam decadem aerae vulgaris, non multo post evangelium s. Matthaei. E deductis una intelligitur locus, ubi hoc evangelium exaratum est, nempe Romae ad preces fidelium, ut adeo ecclesiae Romanae fideles fuerint primi eius lectores, uti hoc expresse perhibet Eusebius 2, 15. cum provocatione ad Clem. Alex.: „Tantus, — inquit, — veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse . . . sed Marcum Petri sectatorem . . . enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. — Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, evangelii exstitissent.“ — Similiter s. Hieronymus (De vir. ill.) „Marcus discipulus et interpres Petri rogatus Romae a fratribus breve scripsit evangelium.“ Idem indicant notae internae. Utitur enim latinis vocabulis, ubi graeca praesto erant, e. g. *σπεκουλάτωρ*, *κεντουρίων*, *κοδράντης*. Observat deinde, Simonem illum Cyrenaeum, qui coactus erat a militibus crucem Christi portare, fuisse patrem Alexandri et Rufi, hominum scilicet Romanis non incognitorum, ut apparet ex epistola s. Pauli ad Romanos c. 16.

§. 14.
Lingva.

Prioribus ecclesiae christianae saeculis nemo dubitavit, evangelii secundum Marcum lingvam natalem fuisse

*) Scilicet Petrus illud proprie tradidit, seu auctoritate sua ad usum communem commendavit, postquam Marcum prius in Aegyptum dimisisset. „Probavit illud, inquit s. Hieronymus (De vir. ill.) et ecclesiis legendum sua auctoritate edidit.“

graecam. Quamvis enim Marcus ipsa sua elocutione ostendat se de genere judaico satum, et quamvis omnes fere asserant, Romae et in gratiam Romanorum prodiisse evangelium, verumtamen de alia, quam graeca lingva usque saeculum 6. nemo cogitavit. Post longum deinde intervallum saeculo 16. Baronius acriter defendit hypothesim de latina, ceu originali lingva, quam subin Harduinus paradoxorum amans, adoptavit, imo ad omnes libros n. t. extendit. Alii vero, uti Wahlius lingvam copticam tribuerunt Marco, arbitrati evangelium Alexandriae scriptum esse nec alio nisi ibidem vernaculo idiomate coptico. Sed jam contraria totius antiquitatis persvasio utramque hypothesim prorsus evertit. Quomodo enim res haec ignota manere potuisset, praesertim in ecclesia Romana? Et cum hodiernus huius evangelii latinus textus, quo ecclesia Romana inde ab apostolica utitur aetate, manifeste graeci textus interpretationem exhibeat: qui fieri potuit, ut ecclesia Romana textum latinum, in hypothesi originalem, sineret intercidere, et loco eius latinum textum e graeca ut ponitur versione translatum civitate donaret? Lingva quidem publica Romae fuit latina: sed et graeca vix non omnibus cognita, ita ut ipsum vulgus, teste Iuvenale graecam non raro adhiberet. Exempla insuper docent: alios quoque scriptores opera sua Romanis destinata idiomate graeco exarasse. Sic s. Paulus ap. et s. Ignatius M. epistolas ad Romanos graecas miserunt. S. Justinus M. apologias Imperatori et Senatui exhibitas graece scripsit. Josephus Flavius historiam belli civilis, Herodianus in ipso Imperatorum palatio opera sua graece edidit. Imo inter summos imperatores aliqui graecis litteris inclaruerunt. Magis igitur Marcus graece scribere potuit evangelium suum, quoniam judaei non modicam effecerunt portionem ecclesiae Romanae, quibus lingva graeca ob constantem

versionis Alexandrinae usum fuit velut vernacula. Aliud argumentum, quo lingvae latinae defensores nitebantur, jam vix oportet refutare. Desumitur scilicet illud ab aliquo codice evangelii secundum Marcum Venetiis deposito, quod quia nimis magnam praesefert vetustatem, pro autographo Marci putabatur. At historia codicis eiusdem in Evangelio quadruplici Josephi Blanchini obvia, et cum relatione Josephi Dobrowsky de Fragmento eiusdem Pragensi collata opinionem hanc ita convellit, ut jam obsoleta censeri possit. Constat quippe, in saepe dicto codice Veneto textum latinum a s. Hieronymo emendatum contineri, qui ergo saeculum 4. aerae christianae non superat.

§. 15.

Marci relatio ad Petrum et Matthaeum.

Jam praedicatum illud: discipulus, et interpres Petri, quod antiquitas Marco tribuit, concludere jubet, ipsum in scribendo evangelio a Petro non fuisse independentem. Clarius autem testantur idem factum auctores veteres, uti Irenaeus l. 3. c. 1. adv. haer. Clemens Alex. apud Eus. Hist. l. 6. c. 14. hoc modo: Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, et spiritu sancto afflatus evangelium promulgasset, multi, qui aderant Marcum cohortati sunt . . . ut quae ab apostolo dicta erant, conscriberet, sibique traderet.“ Origenes vero ap. Euseb. 6, 25. de Marco dicit: „Secundum fuisse accepimus evangelium Marci, qui, prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit.“ Et alii. Aperta haec testimonia, item societas Petri fortius evincunt, huius in evangelio Marci partes, quam ut plura argumenta in medium proferre opus esset, qualia notae etiam internae suppeditant, uti quod praeclaram laudem Petri

a Christo enunciatam Matth. 16, 16—20. Marcus reticuerit, quia scilicet modestia Petri, ut sub suis occulis talia de se scriberentur, non admisit. Qua igitur auctoritate nitatur fides Marco praestanda, quisque perspicit. — Si enim Petrus librum sui discipuli ecclesiae commendavit ceu Spiritu sancto afflatum: consequens erat, ut ille instar operis divini susciperetur, quasi ab ipso Petro divinitus inspirato profectus esset. Porro de relatione Marci ad evangelium Matthaei ardua est quaestio. Si ad invicem conferantur, ita se volumine habet Marcus ad Matthaeum, sicut 3 : 5. et in tam multis obiectis conveniunt ambo, ut quibusdam Marcus nonnisi Matthaei opus in compendium redegisse videretur, in specie s. Augustino, qui Marcum pedissequum et breviatorem Matthaei compellat. At vero merus breviator dici nequit. Scribit namque saepe plenius ipso Matthaeo, e. g. de paralytico 2, 1—12; de daemoniaco Geraseno 5, 1—20; de filia Jairi 5, 22. seq. — Alia autem habet propria, quae in Matthaeo frustra quaesiveris. Peculiari tamen reflexione digna est illa differentia, quam in eorundem eventuum narratione inter utrumque observamus. Scilicet haec non modo laborem excerpendi, propositumque abbreviandi dubium reddit, sed etiam quaestionem excitat: num hac ratione quispiam suum ducem in scribendo sequi possit, quin seu ipse a vero aberrare, seu praecessorem refutare censeatur. Ceterum de ista partim convenientia, partim dissonantia in sequentibus agemus, ubi simile phaenomenon in Luca recurrens fuerit expendendum.

§. 16.

Authentia pericopae 16, 9—20.

Postrema evangelii huius particula, 12. versiculis constans, et tres Jesu apparitiones, monita et promissa, cum ascensione in coelum continens, inter partes ut vocant deuterocanonicas numeratur, eo, quod jam in antiqua ecclesia nonnulli authentiam eius in dubium vocaverint, et e textu sacro omiserint. Ideo aetate s. Hieronymi et Gregorii Nysseni inveniebantur codices, qui eam non haberent. Attamen pericopa tota nihil continet, quod Marco indignum, vel interna veritate esset destitutum; testes praeterea tot tantique eius authentiam agnoscunt, ut de contrario recte conclamatum sit. Nam praeter paucos codices, hoc comma omittentes, e quibus est Vaticanus, reliqui omnes aut simpliciter, aut cum aliquo signo habent.

2. Adest in omnibus versionibus, syriaca Peschito non excepta, fuit itaque etiam in codicibus, qui versioni materiam praebebant.

3. Agnoscitur a Patribus: Irenaeo, Hippolyto, Clemente, et Dionysio Alexandrino, Cyrillo, Ambrosio, Augustino, nec non Hieronymo et Gregorio Nysseno, qui quidem aliorum contrarios obtutus memorant: ipsi tamen eam vindicare student. Suffragantur etiam notae internae; quis enim sibi persvadeat verbis: „timebant enim“ abruptam fuisse narrationem, totumque librum conclusum, quin adderentur alia post resurrectionem Christi gesta? Stylus deinde, et compendiosa narrandi ratio, quae in hac parte cernitur, Marco bene conveniunt. Silentium aliquot codicum authentiam non infringit; nam eius variae possunt esse causae. Nominatim hic obstare videbatur difficultas conciliandi narrationem Marci cum Matthaei evangelio in assignato tempore resurrectio-

nis, quae a Matthaeo vespertino tempori assignari putabatur, cum Marcus eam mane contigisse dicat. Colligitur haec causa haesitationis ex Hieronymo, qui interrogatus de modo conciliandi ab Hedibia matrona, sic respondet: „Huius quaestionis duplex solutio est, aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur evangeliis, omnibus Graeciae libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim quum diversa atque contraria evangelistis ceteris narrare videatur, aut hoc respondendum, quod uterque verum dixerit; Matthaeus: quando Dominus surrexerit vespere sabbati; Marcus autem, quando eum viderit Maria Magdalene, id est mane prima sabbati.“ *)

Hactenus Hieronymus. Observandum tamen, illa verba s. Patris, quibus capitulum hocce in raris haberi exemplaribus, in specie autem in omnibus pene graecis codicibus desiderari asserit, non nimis esse premenda. Alias enim l. 2. contra Pelagium ipse fatetur, certum additamentum versus 14-i maxime in graecis legi codicibus; itaque capitulum illud controversum, cuius partem efficit versus 14. nequaquam ita rarum erat, prout in epistola ad Hedibiam dicere videtur.

§. 17.

De argumento.

Argumentum in 16 capita divisum Marcus potiori ex parte idem habet, quod Matthaeus; in ordine tamen narrandi aliquoties discrepat ab illo. Propria habet sequentia:

1) 4, 26—29. Adfertur similitudo de regno Dei.
2) 7, 32—37. de surdomuto, cui Christus dixit

*) Ep. 120. t. 1. col. 819.

ephphetha, id est, adaperire; et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculnm lingvae eius.

3) 8, 22—26. coecus ad Bethsaidam recipit visum per binam impositionem manuum.

4) 14—20. Apparitio Christi post resurrectionem, qua occasione redarguit incredulitatem discipulorum, eosque mittit in universum mundum ad praedicandum evangelium, praedicens signa, quae sequentur credituros. — His accedunt minora quaedam additamenta.

Spicilegium ad usum vitae reponendum accipe ut sequitur:

3, 33—35. „Quae est mater mea, et fratres mei? Et circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea et fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror, et mater est.“

9, 42. 43. „Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstingvibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstingvitur.“

10, 24. 25. „Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. — Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.“

16, 15. 16. „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae, qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.“

§. 18.

Pericopae ecclesiasticae, et quaestiones criticae.

Ex hodierno usu pro lectione ecclesiastica ex Marco pauciores accipiuntur pericopae, quam ex reliquis evan-

gelistis. Duo tamen valde solennia festa, scilicet paschatis et ascensionis Domini ex libro Marci habent assignata evangelia, primum quippe cap. 16. initium; alterum autem eiusdem finem.

Quaestiones criticae inter alias occurrunt:

1) Quis sensus verborum Christi 4, 26—29.? Vide Vouters p. 226. 227.

2) Ad 7, 4. Qualia baptismata usurpabant judaei, et quomodo differt ab illis baptisma Joannis, et baptisma Christi? Calmet op. cit. p. 96—104. Patritius p. 449—459.

3) Ad 15, 25. Quo anno, et qua hora fuerat Dominus crucifixus? Vouters p. 398—419. Patritius p. 515—540.

Articulus III.

De evangelio s. Lucae.

§. 19.

Auctoris vita.

Lucas, vel ut interdum legitur Lucanus, teste Eusebio et s. Hieronymo fuit origine Antiochenus, gentilibus parentibus ortus, postea tamen proselytorum numero accessit; inde enim explicatur ampla cognitio religionis et rituum hebraicorum, quam in suis operibus prodit. Forte s. Pauli praedicatione conversus, post concilium hierosolymitanum ei se comitem adjunxit, et in secundo itinere apostolico socius laborum fuit, quod in Actibus apost. ipse indicat, dum peregrinationem Pauli a cap. 16. v. 10. in prima persona pluralis numeri velut praesens narrat. Aderat etiam in tertio itinere: item dum

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 49 von 290

Paulus captivus duceretur Romam, denique utramque romanam captivitatem cum Paulo transegit, quae constantia et fidelitas insignem viri virtutem indicat.

Cumque magni sui magistri fortiter gesta per tot annorum decursum vidisset, spiritumque doctrinae ex ore illius combibisset; dignus erat, qui ad scribendos tam insignes libros, evangelium quippe et actus apostolorum specialem gratiam obtineret, iisque de ecclesia Christi optime mereretur. Etiam cultura eius graeco-judaica, et professio artis medicae praeclarum veritatis testem reddiderunt. Prout vero ex Actibus apostolorum praestanti Lucae calamo deductis Pauli magnitudinem cognoscimus: ita Paulus quoque in suis epistolis identidem honorificam fecit Lucae mentionem, uti Coloss. 4, 14. „Salutat vos Lucas medicus carissimus et Demas.“ In epistola ad Philemonem vocat adjutorem suum, in ea vero ad Timotheum 2. solius Lucae perseverantiam in sua adversa fortuna laudavit dicens: „Lucas, inquit, est mecum solus.“ — Ceterorum pars ab ipso apostolo ad varias ecclesias dimissa, pars autem apostolum in mediis lacera nave reliquit aquis.

E familiaritate, quam Lucas cum s. Paulo, eiusque sociis fovit, facile intelligitur, quonam auctore, vel fonte sit usus in scribendo evangelio, eaque parte actuum apostolorum, cui ipse non adfuit. Diserte etiam veteres Paulum nominarunt ceu suggestorem Lucae, uti s. Irenaeus: „et Lucas, inquit, sectator Pauli evangelium ab hoc praedicatum volumine complexus est.“ Similiter Tertullianus ait: „Lucae digestum Paulo adscribere solent.“ (adv. Marc. 4, 5.) Juvat Eusebium quoque audire (Hist. eccl. 3, 24.) „Lucas, inquit, in ipso evangelii sui exordio, quae scribendi sibi causa esset, exposuit. Ait enim multos temere atque imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum, quas ipse explora-

tas haberet, ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam, ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum apostolorum sermonibus hauserat, evangelio suo tradidisse.“ Verba haec ideo recitavimus, quia simul commentarium exhibent praefationis evangelii secundum Lucam. Revera Lucas ipse suos fontes assignat, dum ait: „sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis“ hoc est apostoli. Inter multos ergo de rebus Christi conscriptos libros ipse novum, exploratae diligenter veritati per omnia consonum promittit, multis tacite objiciens, quod non essent ab auctoribus rite informatis profecti. Atqui haec objectio evangelia Matthaei et Marci non ferit. Itaque Lucas eos non comprehendit sub expressione τῶν πολλῶν, sed alios temere scribentes, ut recte sensit Eusebius. His vero praemissis, quis non videt fidem historicam Lucae summam esse? Sane, qui talem crisim inter vera et falsa exercet, qui sub oculis apostolorum et e suggestione illorum scribit, idque diligenter et ex ordine, illoque scopo, ut lector cognoscat certam veritatem: ille aut haec omnia perverse simulat, aut fidem jure postulat indubitatam. Prioris absurditas ex ipsa lectione evangelii, et Act. apost. patet clarissime, ergo dari debet alterum.

Quonam post mortem Pauli Lucas diverterit, et evangelium disseminaverit: item ubi et quali genere mortis vitam finiverit, nihil certi monumenta tradiderunt.

§. 20.

Tempus et locus editi evangelii.

De tempore editi evangelii 3-ii illud unicum liquet: prius fuisse exaratum, quam Actus apostolorum: quoniam

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 51 von 290

in exordio horum jam de primo libro (πρῶτος λόγος) confecto facit mentionem. An multo vel brevi tempore illum prius absolverit: durum est determinare. — Forte ambo libri considerandi sunt ceu unius, ejusdemque operis partes, quae scribebantur continuo, simulque Theophilo tradebantur, quod interim haud vetat, quominus adnotatio et compositio argumenti jam a longiori tempore fieret, donec interposito longiori otio libelli in hanc, qua prodiere formam minime indigestam, redigerentur. Qui enim pluribus operibus quamdam scribendi facilitatem non acquisivit, et alios multos eadem de re scribentes vult superare, certe plusculum temporis consumit, donec suum opus luci publicae maturum efficiat. Quid quod exordium evangelii Lucae longius tempus ponere jubeat, quo multorum lucubrationes vulgarentur, et ipsi Lucae innotescerent? Ceterum veteres ecclesiae scriptores, uti et ὑπογραφαί codicum, tam in tempore, quam in loco assignando variant. Alii Philippis in Macedonia, alii in Achaiae et Boeotiae finibus, alii Caesareae vel Romae ponunt originem evangelii. In nostra sententia ordo etiam, quo se evangelia in canone excipiunt, constat; sic enim Lucas post Matthaeum et Marcum scripsit, quae est traditio satis constans, si solum Clementem Alexandrinum excipias. Ille scilicet apud Eusebium non tam e sua, quam aliorum opinione, Lucam ante Marcum scripsisse refert, dum evangelia genealogias habentia ceteris priora dicit. Hanc tamen Clementis traditionem nec ipse Origenes eius discipulus probavit, quare nec nos moratur.

§. 21.

Elocutio et argumentum.

Juxta unanimem antiquorum persvasionem Lucas graece scripsit, nec ullus, usque ad Harduinum aliam protulit opinionem. Imo teste s. Hieronymo elocutio Lucae magis est graeca, quam reliquorum evangelistarum, idque confirmant observationes e notis internis depromtae. Hinc est, quod epistolam ad hebraeos, cuius elocutio terso stilo graeco multum inter alia scripta novi testamenti eminet, aliqui putaverint a Luca fuisse ex idiomate hebraeo in graecum conversam. Praecipue vero ibi venustior apparet elocutio, ubi Lucas a substrato argumento minus dependet, ut non cogatur hebraizantes formulas adhibere. Talis est parva illa, sed concinna praefatio evangelii, dein plurima in Actibus apostolorum, ubi liberiorem phrasim sequitur.

Argumentum huius quoque, sicut priorum duorum evangeliorum, potissima parte efficiunt res Christi in Galilaea gestae, ordine tamen, ut omnes fatentur, magis chronologico dispositae; quamvis exceptio quoque habeat locum, e. g. in praeoccupata captivitate Joannis baptistae. Illud peculiare, quod saepius exhibeat Christum, iter hierosolymitanum ingressum, qui tamen unica vice illud reipsa perficit. Alias ex Luca non apparet, an in urbem devenerit, nec ne; nam dum prosecutio, vel meta itineris exspectatur, lector subito iterum in Galilaeam reponitur cum observatione: Christum denuo Hierosolymam tendere; ut adeo Judaea tantum circa ultimum vitae Christi pascha sit theatrum rerum gestarum. Porro Lucas multa quidem scribit, quae in Mattheo vel Marco, vel utroque narrantur: attamen evangelii dimidia pars ei propria est. In hac autem praecipua objecta sunt sequentia:

1) Nativitas Joannis baptistae, mirabilis conceptio Christi, et visitatio Elisabethae per Mariam virginem; narratur cap. 1.

2) Nativitas et praesentatio Christi, ejusque iter hierosolymitanum aetatis anno duodecimo. Cap. 2.

3) Capitis 3. genealogia, magnam partem Lucae propria est.

4) Christus in synagoga Nazarethana explicat Isaiam, et populus de monte vult eum praecipitare. Cap. 4.

5) Resuscitatio unici filii viduae de Naim, et coena Christi apud Simonem pharisaeum, ubi ungitur a muliere peccatrice. Cap. 7.

6) Parabola de homine a latronibus spoliato, et per misericordem Samaritanum benigne tractato, item hospitatio Christi apud Mariam et Martham. Cap. 10.

7) Parabola de amico tres panes petente. Cap. 11.

8) Parabola de filio prodigo. Cap. 15.

9) Parabola de villico iniquitatis, item de divite epulone et Lazaro mendico. Cap. 16.

10) Parabola de judice, qui viduae causam noluit cognoscere. Cap. 18.

11) Historia Zachaei. Cap. 19.

12) In historia passionis, quae cap. 22. et 23. describitur, propria sunt Lucae verba Christi ad Simonem: „Simon, Simon! ecce satanas“ etc. Cap. 22. Illusio per Herodem, ploratus mulierum, et verba Christi ad illas. Cap. 23.

13) Dialogus Christi cum duobus discipulis in Emmaus euntibus. Cap. 24.

Spectata amplitudine evangelium Lucae, ceteris copiosius est, quia etsi in pauciora capita sit divisum, superat tamen evangelium Matthaei. Juxta hodiernam partitionem numerat in textu graeco capita 24. et ver-

sus 1151. Hoc Lucae evangelium est, quod Marcion saeculi 2. haereticus unicum admisit, at sine titulo, seu inscriptione, ut refert Tertullianus. Quamvis autem illud varie interpolaverit, et truncaverit: in substantia tamen idem fuisse cum 3-o canonico evangelio, expresse testantur Tertullianus et Epiphanius, probantque citata, cum textu Lucae convenientia.

§. 22.

Relatio trium priorum evangeliorum ad invicem.

Intricatissima est quaestio in studio biblico novi testamenti, quaenam sit evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae mutua ad invicem relatio? Quo scilicet ordine suos libros ediderint, et quatenus posteriores antecessorum opera in suum usum converterint? quae ambae quaestiones ideo discutiuntur, ut ex illarum resolutione pateat forte modus tam consensum, quam dissensum horum evangelistarum explicandi. Est enim phaenomenon istud singulare, quod tres ejusdem historiae scriptores persaepe miro modo in ipsis verbis et ordine narrandi conveniant ita, ut alter alterius materiam et verba excerpsisse videatur; dum tamen aliis in locis tanta cernitur discrepantia in adjunctis personarum temporum et locorum, ut si posterior prioris librum in scribendo coram se habuit, concipi vix possit, quomodo ab illo tam graviter potuerit dissentire. Ista quidem disputatio talis est, qua religionis tam veritas, quam dignitas facile caret; nam cum discrepantiae, ceu apparentes antilogiae, solvi possint: pro certitudine fidei parum interest scire, an Marcus excerpat Lucam, aut Lucas Marcum, vel an ab invicem indepedenter scribant. Nihilominus cum tanta de hoc objecto jam scripta sint, ut ea penitus ignorare non conveniat: juvat breviter controversiam enarrare, et

quid nobis verisimilius videatur, exponere. Hypothesim utique dabimus prout alii, siquidem ultra terminos hypotheseos vix unquam licebit eluctari.

Nostra sententia est, evangelistas eo scripsisse ordine, quem in canone tenent, et a posterioribus cognita quidem fuisse evangelia priora, non tamen excerpta. Ordinem quidem in testimoniis antiquorum satis fundatum censemus. Notabiliter enim potior scriptorum pars hunc statuit ordinem, praesertim si ratio habeatur codicum qui paucis demtis omnes Matthaeum primo collocant loco, deinde Marcum, Lucam et Joannem, quod temere fieri non potuit, neque alia causa idonea id persvasit; nam ex adverso dignitas apostolica Joannis peculiariter dilecti, atque columnis adnumerati discipuli svadebat: ut ipse primus collocaretur, nedum Marco et Lucae postponeretur. — Sufficit adduxisse Irenaeum [1]), Origenem [2]), Eusebium [3]), Hieronymum [4]) et Augustinum [5]), qui omnes ordine ante dicto enumerant evangelia temporis habita ratione. Solus Clemens Alexandrinus refert, evangelia, quae genealogias continent, priora prodiisse, ast plurium auctoritati nequit praevalere.

Quid autem codicum quorumdam, inprimis versionis latinae et gothicae auctores moverit, ut Marco et Lucae praemitterent apostolos Matthaeum et Joannem, haud aegre intelligitur; certe non ratio chronologica, quum constet inter omnes Joannem postremum scripsisse. At minus praesidii est in historia pro eo, quod posteriores evangelistae priorum evangeliorum usum fecerint in scri-

---

1) Adv. haer. 3, 1.
2) Apud Euseb. hist. 6, 25.
3) Hist. eccl. 3, 24.
4) Praef. ad Damas.
5) L. 1. De cons. evang.

bendo. Nam patres etsi Marco Petrum, Lucae vero Paulum tribuant fontem vel auctorem, non tamen eos librorum excerptores dicunt, praeter solum Augustinum, qui Marcum pedissequum Matthaei appellat, nisi illud cum respectu potius ad similitudinem argumenti, quam laborem describendi intelligat. De Joanne quidem Eusebius refert: trium priorum scripta ad ipsum quoque pervenisse, et ab eo probata fuisse, sed ille hic non versatur in quaestione. — Si vero tot tantaeque differentiae in iisdem objectis narrandis considerentur: omnis alia ratio insufficiens nobis videtur ad easdem explicandas, praeter plenam ab excerpendo abstinentiam. Nam utcunque diversus tribuatur scopus cuique: ex illo patet quidem, cur aliqua omissa, alia vero adlata sint: sed quare e. g. alter unum dixerit, ubi alter duos posuit; *) aut quare pro egressu e Jericho et duobus coecis apud Matthaeum (20, 29. 30.) accessus ad Jericho, et unus coecus legatur apud Lucam (18, 35.); quomodo item ipsa formula orationis dominicae aut verba institutionis Eucharistiae possint discrepare, si Marcus Matthaeum et Lucas utrumque in scribendo coram se habuit: hoc quidem et multa similia durum est explicare. Ipsae omissiones interdum lucem e diversitate scopi non capiunt, e. g. absentia jejunii, baptismi, et totius orationis montanae in Marco; apud Lucam omissus adventus magorum, qui tam bene reliquis infantiae Christi eventibus poterat adjungi, praepostera memoria captivitatis Joannis, diversa in singulis resurrectionis et apparitionum historia etc. Haec et plura alia cum ita scribantur, ut nec minima fiat reflexio ad divergentem antecessoris narrationem, neque ullum appareat studium corrigendi: non secus nisi ab indepedenter scribentibus poterant committi. Utrumque igitur,

*) Cf. Matth. 8, 28. Marc. 5, 2. Luc. 8, 27.

tam quod adest, quam quod abest in posterioribus evangeliis probare videtur indepedentiam.

Quamvis autem Marcus Matthaeum, Lucas vero tam hunc quam illum in nostra hypothesi non transscripserit, cognitum tamen habuit; de quo nos dubitare non sinunt, sive personarum externa adjuncta, sive evangeliorum cognatio. Et de Luca quidem facile quisque fatebitur: nota ei fuisse priora evangelia; hoc enim jam prologus indicat, in quo scribit multos ante se ordinasse narrationem rerum a Christo gestarum, hoc est commentaria de eius dictis et factis edidisse. Quamvis autem Lucas his contentus non fuerit, quod pleraque ab imperitis essent profecta: intelligere tamen inter notatos Matthaeum et Marcum non potuit, ille enim fuit αὐτόπτης, iste vero, prout ipse Lucas, a talibus informatus, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri erant sermonis. Ipsa quoque hospitatio Lucae in illis locis, ubi Matthaei evangelium pervulgatum esse debuit, item conversatio cum ecclesiarum apostolicarum primoribus plurimam ei occasionem suppeditavit, evangelium Matthaei cognoscendi. Idem fere de libro Marci dici potest, Romae editō, unde exempla eius circumquaque distracta fuere. Sed et Marcum legisse evangelium Matthaei, antequam suum scriberet, quis dubitet, si eius conversationem cum apostolis expendat. Sane viri apostolici, et speciali penes apostolos delegationis munere functi ignorare notabiliores in ecclesia eventus non poterant, quales certe erant libri ad usum solennem omnium ecclesiarum servituri. Imo dicimus, Matthaei evangelium, tam hebraicum, quam graecum ipsis praeconibus fidei, rectoribusque ecclesiarum serviisse instar normae, aut fontis, e quo verbum Dei praedicantes dicendi materiam et formam sumebant. Quo factum, ut frequens eius usus ordinem et verba materiarum imprimeret memoriae, qua facile Marcus et Lu-

cas etiam in scribendo dirigi poterant, ut adeo partem convenientiae inter 3 evangelia repetere liceat e praedicatione vivae vocis ad receptam formam adcommodata. Idem ipsum utique et Marci evangelium in certis ecclesiis efficere potuit. Reliquam partem directioni divinae adscribere nil dubitamus, quae tam convenientiam, quam disconvenientiam ad suos fines voluit servire; et in specie haec duo palam facere:

1-o. Sacros auctores in scribenda Christi historia non collusisse, 2-o nihilominus eandem scripsisse veritatem in re ipsa tam evidenter, ut nec adversarii unitatem historiae queant pernegare. Profecto, si divina sunt ista opera: noli mirari in eorum tam materia, quam forma observari quaepiam attributa, quae e consveto humanae operationis ordine nequeas explicare. — Quid, quod Joannes, cui tria evangelia praesto erant, suum nihilominus ita exaraverit, ut nihil plane excerpsisse cernatur, nec in illis quidem narrationibus, quas cum tribus communes habet, uti prodigio multiplicatorum 5 panum, ingressu solenni in urbem, historia passionis et mortis etc. Idem igitur obtinuerit in Marco relate ad Matthaeum, et Luca relate ad utrumque, non obstante magna operum affinitate, quam ex assidua earundem rerum narratione iisdem fere verbis facta et forte lectione quoque praecedentium operum repetimus, haud abstrahentes a directione divina, siquidem Deus libros ipsos ad suos fines conformatos voluit. Accedit, homines similis fere culturae et eadem lingva utentes, dum eadem facta narrant, facile in eadem verba convenire, praecipue si fidelitatis tenaces, et parci sint verborum. Sic e. g. putamus fidelissime conservatam esse etiam historiam antediluvianam, per traditionem vivae vocis, quam longaevi patriarchae sexcenties iisdem fere verbis et perceperant, et ad posteros transmiserant.

His praemissis aliorum hypotheses quae vel asseclas nactae sunt, vel aliquam veri speciem praeseferunt, commemorabimus. Multi in primis tenent et in Leonardo Hugio doctum defensorem habent, evangelistas, qui synoptici vocantur, hoc quidem ordine scripsisse quem canon hodiernus exhibet, simul tamen a Marco Matthaeum, a Luca vero utrumque in scribendo compilatum fuisse. Scilicet in consensu explicando alium exitum non inveniunt. Jam vero consensum quidem fatemur perquam observabilem: at vix uuquam purum. In ipsis consentientibus locis occurrunt deflexiones, quarum si causam quaeras, haerebis. Differentia vero ordinis, expositionis et styli in multis aliis tanta est, quae usum prioris operis credere non admittit. Quomodo insuper explicandum, quod in traditione hujus usus nulla reperiantur testimonia? Patres enim, quamquam cognationem evangeliorum optime noverant, de hac transscriptionis hypothesi silent. Aliam igitur tenebant huius nodi solutionem esse possibilem. Certe si historica testimonia hac de re quidquam memoriae prodidissent: eruditi non inter se confligerent super eo, an Lucas transscripserit Marcum, vel Marcus Lucam. Haec posterior opinio placuit Jacobo Griesbachio criticorum principi, qui prioritatem Lucae ita defendit, ut Marcum eius evangelio adjutum fuisse assereret. Sed argumenta, quae profert, non plus probant, nisi Marcum tam cum Matthaeo, quam cum Luca in multis consentire, ita ut 30 circiter versiculis exceptis vix aliquid habeat, quod in alterutro non legeretur. Nos vero hoc ipsum dicimus valere in contrarium. Quid enim sic laboris manebit Marco, si nihil fere proprii scripsit? — Quomodo tantam auctoritatem, et secundum in canone locum obtinuit, si solam synopsim cognitorum jam evangeliorum, omittendo pulcherrima quaeque, confecit? Precibus quoque ecclesiae Romanae, qua rogante scripsisse

perhibetur, aegre satis fecisset, si duorum jam editorum librorum nonnisi extractum dedisset. Denique obstant Griesbachio omnium patrum testimonia, quae ordinem consvetum evangeliorum tradunt.

Multo magis hoc valet de hypothesi illorum, qui Lucam primum omnium scripsisse defendunt. Nam et haec opinio emersit, et praesidium in eo quaesivit, quod Lucas evangelium ante Acta apost. absolverit, ista vero ad finem deduxisse ponatur secundo anno captivitatis primae romanae s. Pauli, quo tempore evangelium s. Matthaei juxta relationem s. Irenaei nondum fuit editum, utpote natum tunc, dum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et ecclesiam fundarent, Marci vero post exitum illorum, seu, ut illi volunt, excessum ex hac vita. Quanta huic argumento tribuenda sit vis, jam alias cognovimus; procul nempe abest, ut hoc evincat, quod ex eo deducitur. Obstat praeterea, quod ante Lucam complura jam scripta sint evangelia, ipsi bene nota, e quibus Matthaeum et Marcum eximere nulla svadet idonea ratio. Itaque ordo ab antiquis traditus in tanta opinionum varietate tutissime defenditur; cetera enim ex elocutione et dispositione argumenti petita momenta, item unius tantum testis antiqui, puta Clementis Alexandrini (qui ipse Lucam non praeponit Matthaeo) effata aliorum consensui minime praevalent.

Alii ad explicandam evangeliorum harmoniam confugerunt ad evangelium aliquod praevium, tanquam communem fontem reliquorum, quo scilicet tam Matthaeus quam Marcus et Lucas usi sint, unde veniat eorundem consensus in ipsis adeo verbis, et ordine materiarum. Longum foret huius hypotheseos varias formas et evolutiones recensere, quibus eruditi viri bene multi delectabantur. Cum scilicet observassent hypotheseos huius, prout ab antecessoribus proposita fuit, absurda consecta-

ria: volebant varia eius mutatione probabiliorem reddere, quod tamen usque hodie non successit. Evangelium enim tale merito rejicitur; nam 1–o nullus eius auctor ostendi potest; certe autem memoria viri tam bene de ecclesia meriti non perivisset. 2–o. Nullus antiquorum huiusmodi fontis communis meminit, ut igitur existentia eius precario sit assumta. Origenes enim aperte testatur apud Eusebium: sola 4 evangelia, in universa, quae sub coelo est, ecclesia agnosci. Si vero fons ille tam venerabilis fuisset, ut ipse apostolus Matthaeus eo uteretur: abs dubio etiam inter libros canonicos fuisset receptus. 3–o. Quomodo hunc penes fontem communem tanta potuit enasci in evangeliis disconvenientia, ut antilogiae numerentur plurimae? Si quis diversas fontis recensiones, vel ex hebraico factas conversiones ponat: incerta superaddit incertis, quin probari quidquam possit. 4–o. Matthaeus, qua immediatus Christi discipulus fonte, e quo sui magistri dicta et facta hauriret, opus non habuit nec ad historiam cognoscendam, nec ad elocutionem juvandam. Scripsit praeterea hebraice, ubi tamen textus eius graecus, qui certe fidelem continet versionem, cum Marco et Luca conspirat. Sequeretur ergo, Matthaei hebraicum textum non fuisse nisi plus minus digestam copiam fontis hebraici, consensum autem primi evangelii cum duobus posterioribus ab interprete venire; sic vero Marcus et Lucas graece scribentes non alium fontem nisi Matthaei versionem graecam adhibuissent, quod est contra hypothesim. Si vero fons ille praesumtus fuit graecus, quomodo Matthaeus hebraice scribens cum eo consentire potuit? Vel ex his patet, praevium illud evangelium non subsistere.

Non subsistit autem, etiamsi mera vivae vocis traditio proponatur fuisse. Absque dubio quidem doctrina et historia Christi viva voce inde a delapso Spiritu sancto

constanter tradebatur, et ipsa evangelia nonnisi partem traditionis vivae complectuntur: attamen doctrina et historia a 12 et ultra viris proposita concipi non potest ita fuisse uniformis, ita in ordine et extensione constans, ut e solo auditu tres viri separatim scribentes in tam multis conveniant, nisi liber prioris jam aliquatenus formam traditionis determinasset, et forte a posterioribus lectus fuisset. Cum hac restrictione nos ipsi traditionem ducis instar valuisse propugnamus, addito scilicet primo evangelio, quod si quis hoc sensu primordiale, vel praevium dixerit, non errabit, dummodo ad fidem et auctoritatem antiquorum testium Matthaeum statuat primum, non Marcum, vel Lucam.

§. 23.

De concilianda genealogia s. Lucae cum ea, quae apud s. Matthaeum legitur.

Lucas cap. 3. sui evangelii recenset Majorum Christi catalogum magnopere differentem a genealogia, quam Matthaeus in fronte sui libri posuit. Diversitas ista, quamquam in oculos incidens, non impedivit, quominus utrumque evangelium fidem et auctoritatem obtineret in ecclesia catholica. Esset vero communis receptio evangelii Lucae, qui apostolus immediatus non fuit, longe magis inexplicabilis, quam sit disparitas genealogiarum, si Lucas a stricta veritate ullatenus deflexisset. Etsi igitur cunctis, quae moveri possunt, quaestionibus aut difficultatibus plene satisfacere non valeamus: in ipsa tamen auctoritate canonica utriusque evangelii a primaevis Christianis unanimiter agnita, invictum adest certae veritatis et consensus genealogiarum argumentum. Quod pro consensu genealogiarum multo fortius et evidentius formatur, quam forsitan in aliis casibus; quoniam hic

nulla benigna interpretatio, aut lectionum varietas ad extergendam erroris maculam sufficeret, si talis irrepsisse ponatur; praeterea patebant cuivis tabulae genealogicae errorem facile revincentes, quod ideo notare juvat, ne cui difficultas detegendi falsum videatur taciti consensus causa fuisse.

Differentia autem genealogiarum consistit 1–o in eo, quod apud Lucam a Davide usque Christum longe alii Majores nominentur, quam apud Matthaeum, exceptis tribus nominibus Salathiele, Zorobabele, et ultimo Josepho, qui a Matthaeo Jacobi dicitur filius, a Luca Heli. 2–o. Dum Salathiel et Zorobabel in utroque indice in eandem circiter temporis epocham incidunt, et in eadem ad invicem stant relatione: reliqui numero etiam differunt, nam apud Matthaeum a Davide usque Christum sunt capita 26, apud Lucam 41. Istae antilogiae non effugerunt attentionem Juliani apostatae, easque christianis ad deprimendam evangeliorum fidem opposuit. Christiani vero dispersis per excidium hierosolymitanum judaeis, eorumque tabulariis consumtis, jam saeculo 2–o non videntur plerique certam illam, et unicam clavim conciliationis tenuisse, quae primis evangeliorum lectoribus praesto erat, quia Julius Africanus ad exitum saeculi 2. laborat in variis hypothesibus examinandis, et quam ipse profert, traditioni quidem superstruit: non tamen ita explicat et firmat, ut ulterioribus controversiis limitem posuisset. — Hinc factum, ut vel sancti patres incerti haererent. Plures quidem ad Africanum provocant: sed non e propriae discussionis consectario firmantes eius assertum: verum simpliciter assumentes. Recentiori tempore latae fiunt disquisitiones circa hanc materiam, quae num detecturae sint ulteriora documenta, harmoniam genealogiarum in omnibus punctis ostendentia: eventus docebit. Hactenus non omnis dispulsa est caligo. Scriptis

quippe antiquorum testimoniis opus esset ad obtinendam certitudinem, secus ultra possibilitatem vix assurgitur.

Jam in explicanda utraque genealogia, ut constet auctoritas evangeliorum, vel sumitur uterque catalogus pro Josephi prosapia, vel alter quidem deducere dicitur genus Josephi, alter vero Mariae. Prior sententia non tantum pluribus arrisit, quam posterior, sed etiam textu videtur commendari. Matthaeus enim aperte dicit: „Jacob autem genuit Joseph virum Mariae.“ Lucas vero de Joseph addit: „qui fuit Heli.“ — At quaeritur: quomodo Joseph tam Jacobi, quam Helii filius esse potuit? Ad hanc quaestionem varii varie respondent. Alii titulo hereditatis vocatum fuisse filium Helii volunt; alii vero fundamento legis mosaicae de leviratu latae Jacobum declarant patrem naturalem Josephi, Helium vero legalem, quod sc. uxorem Helii absque herede defuncti duxerit Jacob, et fratri suo suscitaverit semen. In hac sententia rursum aliqui Jacob et Heli fratres vocant, et quidem uterinos, alii vero cognatos remotiores. Singulam harum enucleationum aliquae difficultates premunt; quia deficiente luce plenae historiae, in tenebris fere palpitandum est. Sine dubio plurimam considerationem meretur sententia e lege leviratus petita, quam Julius Africanus jam defendit; quia magnorum calculum tulit virorum, et in constitutione hebraeorum veram basim habet. Illud unice nos moratur, quod sacri textus locis parallelis vim inferre videatur, dum e. g. Jechoniam ponit improlem utut l. 1. Paralip. 3, 17. 18. plures ejus filii recenseantur. Praeterea constat, in casu leviratus, prolem a leviro genitam tantum defuncti familiae fuisse adscriptam, non autem duabus. In illa vero sententia, quae alterutram e genealogiis de Majoribus Mariae duci defendit: Joseph ponitur gener Heli patris Mariae, et simul heres ejus, qua talis vero poterat filius dici Heli, in cuius fa-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 65 von 290

miliam transiit fundamento legis: Num. 27, 1—11. Haec expositio non impingit quidem in aliquos scopulos: imo eatenus probabilis videtur, quod Lucas pro graeco-christianis scribens minus detinebatur a danda prosapia Mariae, quam Matthaeus: attamen auctoritate testium firmari non potest. Manet igitur intra limites possibilitatis, quin cum certitudine seu affirmari possit, seu negari. [1])

§. 24.

Lucae 22, 43. 44. authentia.

Inter partes jam olim controversas censetur historia de sudore sangvineo Christi, et angelo eum confirmante, qua nonnulli graeci latinique codices carebant aetate s. Hilarii, prout perhibet s. pater. [2]) Idem fatetur s. Hieronymus. [3]) At genuinos esse hos versus critica argumenta, omni exceptione majora, evincunt; nam 1) Leguntur in superstitibus manuscriptis plurimis, et praestantissimis; pauca quippe locum omittunt, vel asterisco aut obelo ceu suspectum notant. Tempore Juliani apostatae tam in hujus, quam in Theodori Mopsvesteni codicibus adfuisse utrumque comma inde patet, quod dum Theodorus historiam hanc contra Julianum defenderet, nullum sit obmotum dubium contra authentiam. 2) Translatus est locus in omnibus antiquissimis versionibus, itaque codices graeci, earum versionum fontes, historia hac non carebant. 3) Adhibetur a Justino martyre, Ire-

---

1) Plura de hoc objecto vide sis in Tübinger Quartalschrift 1836. p. 403 — 434. 539 — 566. — Etiam Patritii de evangeliis l. 3. p. 33—105.

2) L. 2. de Trin. c. 41.

3) L. 2. contra Pelagium.

naeo, Hippolyto, Chrysostomo, Augustino. Itaque testium valde praeponderans auctoritas authentiam prorsus certam reddit. Accedit historice traditam esse causam omissae in nonnullis documentis pericopae. Aliqui nempe perperam intelligentes narrationem, eam sustulerunt, ne Ariani ipsa abuterentur contra divinitatem Christi. Illi enim huiusmodi locis probabant, filium Dei non habere eandem impassibilem cum patre naturam. Hinc teste Epiphanio (Ancor. 31.) catholici quidam, quum hos versus, tum etiam 19, 41. expunxerunt, ploratum Christo indignum existimantes. Insuper Photius ob deletum locum arguit Syros; Nicon, Isaacus catholicus aliique Armenos, qui putabant Christum hoc modo inferiorem sisti multis martyribus, tormenta fortissime et alacriter perpessis. Cum igitur non critica, sed dogmatica sit ratio, cur hi versus e quibusdam documentis absint, patet authentiam eorum firmam consistere. Sudorem vero sangvineum interdum evenire in hominibus, docet Aristoteles, quem Scaliger imperite locutum fuisse arguens, suam prodit inscitiam. Scaliger quippe nec possibilem censet sudorem sangvineum, nec se legisse unquam eius exempla fatetur. Atqui eruditi complura jam collegerunt exempla fide digna. Ut ex multis ab Augustino Calmet relatis unum alterumve proferamus: Conradus Lycosthenes observat a. 1552. foeminam lue infectam e poris capitis sangvine stillasse. Durius narrat de juvene, qui in carcere clausus tanto affectus est terrore, ut corpore deficiens, in pectore, manibus et brachiis sangvineum redderet sudorem. Scribit Maldonatus, hominem robustum et integra sanitate, cum primum audivit contra se mortis sententiam, sangvineum sudorem toto corpore emisisse. Quod pariter de viro morte damnato legitur in vita Sixti V. per noctem copioso sangvine sudante etc.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 67 von 290

§. 25.

Memorabilia de textu evangelii secundum Lucam.

Multa occurrunt in evangelio Lucae, quae lectorem non modo instruunt, sed etiam speciali quadam delectatione mentis pascunt. Ille unicus est de evangelistis, qui historiam Christi a praesepi ad coelum usque deducit, solus quippe tam nativitatem in vilissimo praesepi, quam ascensionem ad thronum coelestem simul enarrat. Tota quidem historia evangelica delectando docet: Lucas tamen in certis pericopis miram quamdam svavitatem diffundit, praecipue in prioribus duobus capitibus, et plurimis parabolis. In illis apparitio Gabrielis angeli suspensum tenet pium lectorem, quid magni et boni nuncius ille coelestis mortalibus communicandum habeat. Deinde dialogus Mariae cum Elisabetha, et hymnus Mariae, quem ecclesia tam solennem tam gratum habet; postea nativitas Joannis, disputatio de imponendo nomine, et hymnus propheticus Zachariae, sunt totidem eventus, qui quo attentius leguntur, eo majorem lectionis famem, praeterea ideas et sensiones valde pretiosas excitant. Quis enim catholicorum ad lectionem pericopae: „Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen virginis Maria“ etc. non se reflectat ad missam Rorate, in qua sub auroram hoc evangelium a populo christiano avidis auribus excipitur, quando simul desiderium adventus Messiae per millia annorum durans recolitur.*) — Canticum vero Magnificat quoties in ecclesia canitur, quodammodo rapit praesentes ad concinendum, et quia castissimo virginis ore pronun-

*) S. Bernardus quatuor insignes reliquit homilias in evangelium hocce.

ciatum fuit, vel ideo dulce est, quum utique ex tota beatissimae Deiparae vita praeter hunc hymnum vix aliquot verba sint in scriptura conservata. In specie sincero cum cordium jubilo solet cantari Sabbato sancto intra Missarum solemnia, dum praemisso trino Alleluja, melodia eius cum sacro thymiamate sursum fertur in odorem svavitatis. *) Porro hymnus Zachariae: Benedictus Dominus Deus Israel, praeter alias pias cogitationes renovat memoriam peregrinationis nostrae in hac valle lachrymarum, in qua non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Est enim hymnus iste inter preces viatorum tam vita comite, quam tunc, dum reclinato jam baculo peregrinationis, grande aeternitatis iter ingrediuntur.

In 2-o capite memorabilis est historia nati Christi, cuius ortus pastoribus ab angelo nunciatur, et mox concentu coelesti celebratur, verbaque resonant, quae etiam liturgiae nostrae partem eminentem efficiunt: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Quodsi scire cupiveras, quales nativitas Christi salvatoris in coelo ipso produxerit sensus: habes in relatione Lucae authentice patefactum. — Quid vero digni de Simeonis et Annae senecionum cygneo hymno dicamus, quibus in aeternam non prius clauduntur lumina noctem, quam desideratum Servatorem videre meruissent. — Deinde in eodem capite peculiarem reflexionem exigit narratio de sacra familia, ad festum paschatis in templum ascendente, puerique duodennis separatio. Haec unica est adnotatio de tota Christi vita privata, per longam 30 annorum periodum. Omnia

*) Idem hymnus a Joanne Gersonio celeberrimo universitatis Parisiensis cancellario scriptis 12. tractatibus celebratus et ad sensum coelestem fovendum declaratus fuit.

reliqua altum tegit silentium, sed silentium valde disertum.

Inter parabolas celeberrimae sunt: de misericorde Samaritano, de filio prodigo, et de divite epulone. Quae omnes ad vivum proponuntur, et nunquam satis audiuntur. Maxime parabola de filio prodigo, quamvis tot iam commentationibus, et concionibus cum magno vulneratarum conscientiarum solatio explicita, manet tamen semper inexhausta. Jam s. Hieronymus disertissimam super ea misit epistolam ad Damasum papam, quae est editionis Vallars 21-a.

Parabolis unam adjicimus historiam, tanquam speciali mentione dignam particulam evangelii Lucae, quia in vita communi imitationem quamdam post se traxit; scilicet narrationem cap. 24. de duobus discipulis ad Emmaus euntibus, quae delectatione, simul ac doctrina pulcherrimis est adnumeranda.

Textus usu theologico graviores notare juvat sequentes: 1) „Ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.“ 1, 28. Haec verba angeli ad Mariam argumentum praebent pro immaculato conceptu B. M. V. uti authentice docemur literis apostolicis Pii IX. a. 1854. Praeterea sunt pars orationis in ecclesia catholica usitatissimae, quae vocatur Salutatio angelica, historice celebris ob trinum pulsum campanarum quotidie fieri solitum, scilicet: mane ad meridiem, et vespere. 2) Verba Christi: „Simon, Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“ Locus pro praerogativa inerrantiae non minus usitatus, quam authentice certus. 3) Promissio poenitenti latroni facta: „Hodie mecum eris in paradiso“ demonstrat vim gratiae et fructum conversionis per exemplum sine exem-

plo. — 4) „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me“ locus pro demonstrandis prophetiis tam verbalibus, quam realibus ad Messiam spectantibus affatim idoneus.

§. 26.

Pericopae solenniores et loca implexa.

Usus liturgicus evangelii Lucae frequens est. — In specie autem notissimae sunt illius pericopae:

a) In Missa 1-a Nativitatis Domini de angelo nativitatem Christi pastoribus annunciante, accinente choro militiae coelestis. 2, 1—14.

b) In Missa 2-a eiusdem Natalis, de pastoribus ad salutandum Salvatorem in civitatem David euntibus. 2, 15—20.

c) In circumcisione, unicus versiculus 2, 21.

d) Feria 2-a paschatis de duobus Emmauntem euntibus 24, 13—35.

e) In dedicatione templi de Zachaeo, cuius domui salus facta est 19, 1—10.

f) In festo Annuntiationis B. M. V. Missus est Angelus Gabriel. 1, 26—38.

g) In festo Assumtae B. M. V. de Maria optimam partem eligente. 10, 38—42.

h) In festo s. Stephani Reg. de homine nobili, qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 19, 12—26.

Inter amoenitates evangelii secundum Lucam non ambulatur ita plano semper calle, ut quidam anfractus moram non injiciant. Juvabit plures designare, ne improvisi gravius fatigent. Quaero igitur

1. Quo sensu descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino? 2, 2. Vide Patritium L. 3. Dissert. 18.

2. Quid tenendum de profectu Jesu in sapientia et gratia apud Deum et homines? 2, 52. V. Gisberti Lieber Monographiam in hunc Locum: Ueber das Wachsthum Jesu in der Weisheit. Mainz. 1850.

3. Quis est decimusquintus Tiberii regiminis annus, et quando contigit baptismus Christi? V. Vouters P. 5. pag. 96—120. Patritius Dissert. 39. et 47.

4. Quid intelligendum per sabbatum secundoprimum? Cf. Estium ad h. l. Vouters p. 180—184.

5. An Maria Luc. 7. eadem sit cum Maria Magdalene, et Maria sorore Lazari, vel sint tres diversae? Calmet l. c. pag. 134—143.

6. Quid de sudoris sangvinei indole et causa tenendum? Calmet p. 428—434. Vouters p. 374—377.

Articulus IV.

De evangelio s. Joannis.

§. 27.

S. Joannis evangelistae personalia adjuncta.

Joannes Zebedaei et Salomes filius e tribus praecipuis erat apostolis, quos Paulus columnas vocat. Vocatus est ad apostolatum una cum fratre Jacobo majore a Christo ab arte piscandi, quam pater cum mercenariis exercuit, proinde fortunae nonnihil opulentioris fuit, ut patet ex eo quoque, quod mater eius Domino ministraverit de facultatibus suis, et ungventa emerit. Felix ille

discipulus, qui non modo specialiter a Magistro diligebatur, sed etiam matrem eius commendatam sibi habuit, dignus inventus, qui curam sanctissimae virginis Deiparae gereret. Ambo fratres, Jacobus videlicet et Joannes, filii tonitrui dicti sunt a Christo, eodem ut refert Marcus, tempore, quo Simon nomen Petri accepit. Binis autem vicibus ambo correcti sunt; primum, quando in pagum Samaritanum, qui Christum recipere nolebat', ignem de coelo volebant postulare; Christus enim reposuit: „Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.“ Iterato autem, quando matre, primos in regno Christi honores pro filiis postulante, audire debebant: „Nescitis, quid petatis.“ — Nihilominus aliquo sensu, utut ab intentione matris diverso, primas obtinuere partes. Jacobo enim obtigit primus honor e collegio Apostolorum pro Christo sangvinem fundendi, ac ad palmam regni perveniendi; Joannes autem honorem divinae apocalypseos, et ultimae senectae consecutus est, ita ut hi duo fratres, morte sua spectata, stiparent veluti latera collegii Apostolici, unus a dextris et alter a sinistris. Ceterum sicut Christus peculiariter dilexit Joannem, unde hic se nomine discipuli designat, quem diligebat Jesus: ita vicissim Joannes plus una vice specialem ad Christum adhaesionem et fiduciam ostendit, nominatim in ultima coena pectori Magistri adcumbens, confidenter de proditore interrogavit, deinde in passione ceteris dilapsis ipse ad crucem usque perseveravit; et post resurrectionem currens ad monumentum Petro praecucurrit. — Teneritudinem indolis eius illud quoque probat, quod post mortem Magistri Petro, veluti vicario capiti, specialem adhaesionem et amorem exhibuisse cernatur; nam simul cum eo fungitur, et patitur, iam in sanando claudo, et dicenda coram synedrio causa; jam in praedicatione tum Hiero-

solymis, tum apud Samaritanos, quo pro confirmandis fidelibus cum Petro profectus est. Adest etiam ad mare Tiberiadis in piscatione, qua occasione primus agnoscit Christum, et insinuat Petro, denique assidet in concilio Hierosolymitano. Hierosolymis enim longo tempore post mortem Christi degebat, donec, incertum quando, certe tamen ante excidium urbis, Ephesum se contulisset, ubi suprema auctoritate ceterarum quoque inprimis Asiae ecclesiarum curam habuit. Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Victor Capuanus perhibent, sub Domitiano Romam deductum, et in oleum fervens immissum fuisse, unde illaesus exierit; quae relatio traditione quoque romana confirmatur, nec ullo solido argumento potest everti. Postea in exilium sub Domitiano relegatus, insulam Patmos commoratione sua et scripta Apocalypsi illustravit, unde sub Nerva libertati restitutus rediit Ephesum, ibique in pace, nonagenario major quievit; charitatem scriptis et verbis usque ad mortem commendans, quia inquit, praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.

Scripta Joannis post Pauli et Lucae libellos volumine amplissima, pluribus notis distingvunt sese. Evangelium enim tria priora sublimitate materiae, et praecipue exordii superat, a quo etiam Joannes aquilae symbolo insignitur, in ipso principio, instar aquilae, coelorum excelsa petens. Epistolae tres, plenae sunt tenerrima dilectione, et sincero fidei zelo; maxime prima, in qua *ἀγαπάω*, *ἀγάπη*, et *ἀγαπῆτοι* non minus 50 vicibus recurrunt. Apocalypsis denique mysteriis, et magnificis visionibus est referta, quibus in toto novo testamento nil simile occurrit.

§. 28.

Authentia evangelii 4-i.

Demonstrata semel authentia librorum n. t. (vid. Part. Gener. §. 11—15.) inter quos evangeliis et Apocalypsi plurima suffragantur argumenta: non esset opus eandem iterare demonstrationem; nisi specimen dare vellemus, quid non audeat critica mendax, licet luce veritatis penitus obruatur. Scilicet inventi sunt nostro fere tempore, qui evangelium 4-um esse suppositum suspicarentur, et causam hanc desperatam scripto defenderent. Si tamen quaepiam ad fucum faciendum apta protulissent: illud exemplo est: nec solem ita clare posse fulgere, quin vitiosis oculis videatur opacus. Rationes eorum his continentur:

1. Longe alia est huius evangelii materia, quam reliquorum trium, unam Christi doctrinam et historiam narrantium. — Diversitatem fatemur, neque tamen dicta et facta sibi repugnant, ita ut utraque ab eodem Christo dici et geri non potuerint. Si igitur Joannes alias doctrinas, et alia facta refert, complet solum historiam priorum, non refellit. Et eo non obstante plura reperiuntur, in quibus conveniunt; nam doctrinae, quas Joannes latius exsequitur, quoad medullam etiam in primis tribus adsunt. Joannes vero ideo Christi sublimes collegit sermones, quia specialibus rationibus movebatur, sc. oppositas refutaturus doctrinas, quae antecessoribus evangelistis nondum apparuerunt.

2. Joannes origine galilaeus, et humilis conditionis putatur destitutus fuisse illa dexteritate scribendi graece, et sublimiores doctrinas proponendi, quae in evangelio 4-o conspicua est. At graecae lingvae peritiam vel in ipsa Palaestina Joannes facile sibi compara-

vit, magis adhuc in exteris regionibus, in quibus diu versatus evangelium in ultima senecta scripsit. Facultas autem fideliter enarrandi doctrinas, et docendi rationem Christi, in apostolo perpetuo docente, qui potuisset deficere? praecipue in discipulo, qui tenerius diligens, et dilectus claves cordis, et animi sui Magistri magis possedit, quam ceteri. Accedit Joannem non tam vilis conditionis fuisse, quae elegantioris culturae incapax esset.

3. Provocatum fuit ad aliquos errores geographicos et historicos, quales ab apostolo committi non potuerint. Sed isti post accuratiora studia antiquitatum potius firmarunt auctoritatem Joannis, quam infregerunt. Alias autem tanta possunt produci e notis internis authentiae argumenta, ut ea sit evidentissima. In specie idem est in toto evangelio stylus, eadem doctrina, et argumentandi ratio, quae viget in epistola prima Joannis, omnium consensu authentica *). Deinde narrationes eventuum tam sunt graphicae, minutisque personarum, temporis et locorum circumstantiis vestitae, ut scriptorem fuisse praesentem liquido pateat. Exg. c. 9. 11. 21.

Porro auctor loquitur de discipulo, quem diligebat Jesus, qui supra pectus Domini in coena recubuit, cui Christus de cruce matrem suam commendavit, et qui haec (aquam et sangvinem e latere Christi fluentem) vidit. Quis vero sit his notis designatus, tota antiquitas certissime scivit, et tradidit, nempe Joannes evangelista, qui ita latere studet, ut se nunquam nominet, imo nec Joannem baptistam, vicesies memoratum, epitheto baptistae unquam distingvit, quasi de alio Joanne, ab illo diverso, nil sciret.

---

*) Vide amplissimam sylvam exemplorum apud Patritium l. 1. p. 105 et seq.

4. Opponitur authentiae silentium patrum antiquissimorum ecclesiae de Joannis evangelio. — At Clementem Romanum et Ignatium non uti evangelio Joannis naturale est, quum postea scriptum sit, quam 1-a ep. ad Cor. a Clemente mitteretur. — Ignatius autem vix tantum habuit usum libri paullo ante editi, ut in suis epistolis obiter exaratis complura eius vestigia daret. — Aliquae tamen allusiones adesse videntur uti ep. ad Philad. c. 7. — Rom. c. 7. — Idem dicendum de Polycarpo, qui paullo post martyrium s. Ignatii scripsit suam ep. ad Philippenses. In hac autem, si non evangelii saltem epist. 1-mae facit usum, c. 7. quod ex dictis etiam evangelio favet. Patres vero reliqui tam composita acie stant unanimes pro authentia evangelii, ut contrarium defendere sit plane absurdum.

Sic Justinus crebro adhibet verba evangelii in dial. cum. Tryph. et utraque apologia; Theophilus Antioch. Joannem expresse nominat auctorem; s. Irenaeus, ob conjunctionem cum Polycarpo Joannis discipulo gravis testis, evangelii 4-i auctorem, tempus, et locum designat. Clemens Alex. evangelium hoc Joannis amabat vocare *πνευμάτικον* teste Eusebio, Tertullianus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus et reliqui omnes.

5. Adversarii authentiae tuentur se exemplo Alogorum, qui evangelium Joannis rejecerunt. Verum tamen haereticae cuiuscunque sectae arbitrium minus ponderat, quam tot illustrium virorum testimonium. Haeretici enim e causis dogmaticis aliqua mutarunt, vel rejecerunt, ut sua placita defenderent. Ceterum contra Alogos iterum turbam aliorum haereticorum allegare possumus, uti sunt: Tatianus, Heracleus, Ptolomaeus, Valentiniani, Montanistae. Imo ipsi hostes Christiani nominis: Celsus, Porphyrius, Julianus authentiam nunquam

impugnarunt, etsi argumentum evangelii refutare conarentur.

Igitur tam notae internae, quam testes luculentissimi genuinam evangelii 4-i originem invictam reddunt.

§. 29.

Integritas.

Tres dantur partes in evangelio Joannis, quas de corpore resecandas esse, velut spurias, tenuerunt nonnulli, et ex parte adhuc tenent, scilicet 5, 3. a verbis: *ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν,* et 4-us integer; tum 7, 53—8, 1—11. tandem caput 21 integrum. At Joanni merito tribuuntur, quod ostendunt sequentia argumenta:

I. Narratio de aquae motu per angelum fieri solito 5, 3—4. plus minus deest quidem in aliquibus codicibus; alii tamen longe plurimi eam habent, et agnoscitur a Tertulliano, Ambrosio, Chrysostomo, Cyrillo, Euthymio, Theophilacto. — Cohaeret deinde cum reliquo textu, et si non adesset, tacite subintelligeretur; itaque nihil novi infert in textum, nisi quispiam angeli mentione offendatur. In qua re tamen nihil est sapientia divina indignum; imo potius angeli, utpote juxta Paulum administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, nobiliori officio fungi non possunt, quam si e voluntate Dei miseriis hominum succurrant, Deique benignitate mortales reficiant. — Critici quidem illos versus pro glossemate versus 7-i habent, et erasos volunt: sed certis argumentis destituuntur.

II. Pericopa de muliere in adulterio deprehensa, jam quidem in antiqua ecclesia controversa fuit, sed ob minus rectam eius interpretationem, putabatur quippe

bonis moribus noxia, et Christi charactere indigna; nam quod crimen mulieris Jesus non damnaverit, existimabant sceleris turpitudinem sufferri, illud impune declarari, uxoribusque ad vagam licentiam ansam praeberi. — Hac de causa pericopam fuisse omissam diserte testantur Ambrosius et Augustinus. Armeni quoque recitationem eius noxiam censebant, ut refert Nicon. Ex omissa lectione dein enata est omissio eius in codicibus et lectionariis, praesertim cum patres, alias perpetuum textum commentantes, eam aeque silentio praeterirent, ne sinistris judiciis, et inhonestis tricis ansam praeberent *). Non mirum igitur, si pericopa reipsa in multis documentis criticis desideretur, vel signis variis declaretur suspecta. Aliqui spatium vacuum relinquunt, aut ad finem evangelii, vel ad cap. 21. Lucae subnectunt. Sed cum omissio facta sit ex causa dogmatica, in quaestione facti nihil probante: nobis authentia pericopae certa est, quam sequentibus firmamus argumentis: 1) Legitur in codicibus D. F. G. H. K. U. (etiam in E. M. S. notata tamen) uncialibus; in cursivis vero tam graecis, quam latinis plus minus 400. 2) In versionibus: latina, (quibusdam manuscriptis exceptis), aethiopica, syriaca, hierosolymitana, slavonica, persica. 3) Agnoscitur ab Hieronymo, Ambrosio, Augustino, qui „nonnullis modicae fidei, vel potius inimicis verae fidei“ omissionem tribuit. 4) Codices cursivi ad usus ecclesiasticos destinati pericopam habent: ergo in ecclesia, etiamsi non praelegeba-

*) Adponimus observationem Chr. Fr. Matthaei. „A quibusdam, inquit, exclusus est locus de adultera. . . . . Qua vero de causa? Quod hoc Chrysostomus non esset interpretatus. De quorum ergo locorum difficultate interpretes dubii sunt, vel quae in interpretatione non attingunt: an eam ob causam excludenda sunt?“

tur, pro parte evangelii agnita fuit, proinde traditionem ecclesiasticam habet testem; quae in historia tam singulari non poterat ex confictione invalescere.

Nec in argumento ipso quidquam occurrit moraliter impossibile, ob quod pericopa rejicienda sit. Sane pharisaeorum ingenium Christo ubique insidiantium hic rite sistitur; factum nempe illis aptum videbatur ad laqueum Christo struendum; si enim in lapidationem consensisset: poterat velut usurpator potestatis civilis Romanis denunciari; sin autem insontem pronunciasset: videri debebat impius, et contemtor legis mosaicae. Interim Christus imputationem moralem enunciando, civilem autem declinando, technas eorum dissolvit. Porro pharisaei aliena vitia severe persequebantur, propria vero dissimulabant, ut scilicet saeviendo in alios tanto justiores apparerent. Ideo dum observant, Christo suam perversitatem patere: statim se subducunt. Deinde Christus, prout alias divisionem hereditatis inter fratres declinavit, ita hic judicium de poena externa, velut ad se non pertinente amolitus est dicendo: Nec ego te condemno sc. ad supplicium subeundum; perversitatem tamen facti non negavit, imo dicendo: Noli amplius p e c c a r e: diserte professus est, illam peccasse, et a talibus desistere debere. Denique verba illa: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, non sunt ultra mentem Christi extendenda; quasi ex illis sequeretur: testes haud innocentes in judicio generatim audiri non oportere. Christus ut diximus, causam dictandae poenae declinare voluit: verba ergo hunc sensum habent: est quidem mulier lapidationis rea, sed qui poenam exequi vult coram judice morali: meminerit proprii reatus; iniquum enim est, e zelo justitiae ad poenam rapere alium ob illud delictum, quo ipse sis inquinatus. Ut igitur observent, sibi ipsorum reatus cognitos esse:

opportune inclinatus scribebat in terra, non quia haesitabat in dando responso: sed primum ut illos ad cor revocaret, secundo vero spatium dilabendi eis concederet.

III. Caput 21-um, insignem evangelii 4-i partem, nemo antiquorum in dubium vocavit, tantum a tempore Grotii protestantes illud resecandum arbitrantur; at vel ipsi critici ex protestantibus illud genuinum agnoscunt, argumentis quippe historicis ducti, non autem mera formidine primatus Petri. Reipsa facile est eius authentiam vindicare, quoniam omnia documenta critica in illud conspirant, hoc est codices, versiones, et patres, qui specialem commentarium in evangelium Joannis scripserunt, uti Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus. Deinde qui spuria ab authenticis diligenter discernebant, uti Origenes, Eusebius et Hieronymus. 2-o. Idem est hic stylus, eadem graphica narrandi ratio, ut in reliquo evangelio. Videtur quidem Auctor cap. 20-o concludere suum opus: at nihil obstat, quominus postea speciali ex ratione quaedam adjecerit. Ratio autem illa fuit, ut refutaret exortam de se opinionem: tamquam non moreretur; usus etiam occasione ad alia quaedam addenda. Nec obstat, discipulos ad retia reversos fuisse; nondum enim erant ad praedicandum dimissi. Siquis autem opponat mandatum Christi, ut apostoli Jerosolymae manerent, donec induerentur virtute ex alto: reponimus hoc de tempore post ascensionem intelligendum esse.

§. 30.

Tempus et locus editi evangelii.

Non quidem de anno constat, quo Joannes evangelium suum vulgavit: id tamen apud omnes in confesso est: hoc evangelium post omnia reliqua prodiisse. Clemens Alex. apud Euseb. 6, 14. et Hieronymus diserte

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 81 von 290

Joannem inter evangelistas omnium postremum vocant; idemque ostendit ordo in canone ei assignatus. Intercessit autem inter istud, et reliqua evangelia tempus haud exiguum; nam si, ut probabimus, epistola I. Joannis eodem scripta est tempore, quo evangelium: uterque liber nonnisi in sera apostoli senecta vidit lucem, postquam exilium in insula Patmos perpessus fuisset. Notae quoque internae hanc temporis epocham admittunt; nam nuspiam occurrit indicium Jerosolymae integrae vel templi adhuc stantis, imo contrarium colligas ex 11, 18. ubi de Bethania, urbi fere contigua, ita loquitur, quasi iam non superesset, sed cum strage urbis ipsa quoque deleta fuisset. Pariter 18, 1. dicit Jesum egressum esse trans torrentem Cedron ubi erat hortus; et 19, 41. „Erat in loco ubi crucifixus est, hortus etc. Obstare quidem videtur 5, 2. „Est autem Jerosolymis probatica piscina, quae cognominatur hebraice Bethsaida quinque porticus habens. At scaturiginem etiam post dirutam urbem mansisse quid incredibile? participium autem praesentis temporis ἔχουσα pro imperfecto saepe valere constat. Accedit refutatio illius communis opinionis: Joannem non esse moriturum; quae falsa verborum Christi interpretatio tunc maxime invalescere potuit, quando reliquis apostolis defunctis iam solus in vivis erat Joannes, ad magnam senectutem provectus.

De loco non consentiunt scriptores. Multi una cum subscriptionibus codicum insulam Patmos ajunt originem dedisse evangelio; alii urbem Ephesum. Et certe alteruter locus statuatur, oportet; quoniam ultimam vitae periodum Joannes his in locis transegit. Nobis Irenaeus, dum de Joanne agit, maxime sequendus videtur; ille autem Ephesum expresse ostendit, ceu locum natalem evangelii. Cum eo faciunt Eusebius, Epiphanius et Hieronymus, qui postremus ait (Praef. in Matth.): „Joannes

cum esset in Asia, et haereticorum semina pullularent, Cerinthi, Ebionis, et ceterorum ... coactus est ab omnibus pene tum Asiae episcopis, et multarum ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altius scribere.“ Per Asiam, utique intelligitur provincia, cujus Ephesus erat urbs primaria. Locus iste exinde verisimilis videtur, quod divulgata ex insula Patmo Apocalypsi reducem beatum senem majori cum fiducia orare potuerint tum Ephesii, tum vicinarum ecclesiarum legati, ut historiam et doctrinam Christi novo commentario illustraret. Joannes enim, juxta verba Eusebii 3, 24. hactenus nuda voce verbum Domini praedicaverat“ usque dum Apocalypsim mandato divino scribere juberetur. Postea igitur, dato semel initio, ad scribendum facilius poterat flecti, cogente praesentissimo doctrinae periculo ab haereticis imminente. Otium scribendi a Patmo redux abs dubio habuit; licet enim curam supremam ecclesiarum qua apostolus non deponeret: pro fracta tamen aetate adjutores onerum pastoralium adhibuisse merito creditur.

§. 31.

Consilium Joannis in scribendo evangelio.

De consilio Joannis certius, quam de scopo reliquorum evangelistarum informati sumus, tam testimoniis antiquorum, quam notis internis, et demum, quod caput rei est, propria auctoris fassione. Sic enim scribit evangelista 20, 31. „Haec scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.“ Demonstrare ergo voluit Jesu dignitatem, tamquam Messiae simul, et filii Dei, ut haec fides vitam credentibus conferret aeternam. Consilium istud ex tota libri pertractatione apparet. Ideo enim tam multa adfert ad sublimem Christi dignitatem probandam

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 83 von 290

idonea. Ipsum exordium evangelii illuc dirigitur; copiosi sermones dogmatici, denique adsertiones propriae Christi de sua legatione, et unitate cum Patre, quid aliud sunt, quam assumtae veluti theseos confirmationes? Cur autem hoc iniverit consilium, fidem omni exceptione majorem nobis praebent veteres, de scopo evangeli 4-i causisque Joannem ad scribendum impellentibus loquentes. Quorum si conferantur effata: nemo dubitaverit consilium Joannis dogmatico-polemicum fuisse. Veritatem nempe illam: Jesus est Christus filius Dei, defendendam suscepit contra varios haereticos, qui de Christi natura, pluribusque fidei articulis perverse sentiebant. Eorum igitur errores evangelio suo jugulare voluit. Auctor est Irenaeus L. 3. adv. haer. 11. „Hanc fidem, inquit, annuncians Joannes Domini discipulus, volens per evangelii annunciationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus est hominibus, errorem, et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio eius, quae falso cognominatur s c i e n t i a . . . inchoavit in ea, quae est secundum evangelium doctrina: „I n p r i n c i p i o e r a t v e r b u m.“ Item s. Hieronymus (l. De vir. illustr.): „Joannes apostolus novissimus omnium scripsit evangelium rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum, aliosque haereticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens.“ etc. Omnino autem evangelium opponitur Cerinthi aliorumque gnosticorum erroribus, uti comparatio doctrinae evangelii cum deliriis illorum haereticorum ex historia notis ostendit; quae ponderosior fit, si ratio habeatur etiam epistolae 1-mae, probabilissime simul cum evangelio editae, in qua claris verbis dicit Joannes: 2, 18. 19. „Nunc antichristi multi facti sunt, . . . ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis.“ Hoc est: ecclesiae erant membra, sed non erant ea digni. Et post plura subjicit 25, 26. „Haec scripsi vobis de

his, qui seducunt vos.“ Tota utique epistola relationem habet ad evangelium, itaque merito verba nunc citata ad illud extenduntur.

Porro gnosticorum confutatio non unicum erat consilium scribendi evangelii. Aliud quoque apostolus intendebat; nempe ut supplementum daret priorum trium evangeliorum, eaque, ubi opus esset, illustraret. Probatur hoc non minus auctoritate veterum, quam notis internis. Ex illis Clemens Alexandrinus hunc in modum disserit apud Euseb. 6. 14. „Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse: ipse divino spiritu afflatus spiritale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.“ Sensus verborum ille videtur esse, Joannem, cum videret in prioribus evangeliis potissimum humanam Christi naturam delineari, supplere voluisse defectum scribendi talia, e quibus divinitas Christi luculentius patesceret. Eusebius vero ait: „Joannem ob hujusmodi causam ad scribendum se contulisse. Perlatis jam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus evangeliis approbavisse ea Joannes, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa praedicationis initium gesserat desiderasse. . . . His de causis ajunt, Joannem ab amicis rogatum, et tempus ipsum, quod superiores evangelistae silentio praetermiserant, et res tunc a Servatore nostro gestas, eas videlicet, quae Joannis baptistae carcerem praecesserant, in evangelium suum conjecisse.“ Hactenus Eusebius. Ille igitur Joanni scopum tribuit supplendi quaedam a ceteris evangelistis praetermisssa. Atque consilium hocce ex ipso etiam evangelii argumento deducitur.

Nam videre est, Joannem pleraque vix non omnia talia narrare, quae in ceteris evangeliis frustra quaesi-

veris. Quodsi autem aliqua repetit a reliquis jam relata: vel ideo facit, ut avertat, quibusdam additis, minus rectam rei explanationem, vel quia ad intelligenda ea necesse fuit objectum repetere, quae ipse nova dein retulerat. Exempla in omnem partem suppetunt copiosa. Sic praeter satiationem 5 millium, ambulationem in mari, et Christi ingressum in urbem super asino nihil fere cum ceteris commune habet; aliunde historiam Christi notam supponens. Dum vero miraculum de multiplicatis panibus denuo narrat; quisque videt hoc ideo fieri, ut sermonem ea occasione habitum, in quo Christus promittit se carnem suam in cibum et sangvinem in potum daturum, apte subnectere possit. In historia passionis refert Christum a ministris comprehensum, et ligatum fuisse, sicut notarunt reliqui; at illud, quod sequitur solus supplet, scilicet: „Et adduxerunt ad Annam primum, erat enim socer Caiphae;“ tum post plura „Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.“ Notae internae igitur consilium supplendi satis manifestant. Et profecto, quomodo secus explicabis in parte historica selectum rerum prorsus novarum? In parte quidem didactica ratio haec non patet; imo vere mirari licet, multa a Joanne silentio praeteriri, quae consilio eius faverent quam maxime. Talia sunt testimonia de Christi divinitate (Matth. 14, 33. 16, 15. 16. 27, 54.) item certa miracula ad eius gloriam augendam apprime valentia, ut tempore baptismi coelum apertum, et vox audita: hic est filius meus dilectus etc. prodigiosa sanatio paralytici, qua demonstratum est ipsum divinam potestatem remittendi peccata habere; transfiguratio, in coelum ascensio etc. Haec sane omnia dubitare non sinunt: Joannem cum respectu ad priora evangelia scripsisse, ita ut relata ab illis omitteret, omissa vero suppleret. Quod tamen non ita intelligimus, quasi omnia, quae scribi de Christo pot-

erant, supplere voluisset; contrarium enim ipse fatetur (21, 25.) sed supplevit ea tantum, quae ad rem suam facere suggerente Spiritu sancto cognovit.

§. 32.

Argumentum evangelii 4-i.

Si Joannes ad calcem sui evangelii non diceret, esse adhuc alia multa, quae fecit Jesus et non sunt scripta in libro suo: dubium forte oriretur in lectore, an auctor, qui historiam longe diversam scribit de Christo, fidem mereatur, comparatus prioribus evangelistis. Tot enim et tanta habet propria, praeterea tot et tanta omittit magna: ut vel alterius Christi historiam describi: vel auctoritatem scribentis vapulare facile suspiceris. Aliud theatrum rerum gestarum, novae doctrinae, quamquam prioribus non adversae, denique nova miracula pariter inducunt ad quaerendum, cur haec sola sint relata, et quare illa omissa? Ex illis tamen, quae de consilio auctoris defendimus, aenigma perfecte resolvitur. Restat, ut argumentum evangelii, quod 21 capitibus absolvitur, strictim explicemus.

Capite 1-o exponitur Verbi divina natura, et incarnatio, deinde testimonium Joannis baptistae, legatione judaeorum honorati, demum collectio aliquot discipulorum.

2-o Nuptiae Canae in Galilaea, et expulsio profanatorum templi hierosolymitani.

3-o Colloquium nocturnum cum Nicodemo, et nova declaratio baptistae.

4-o Colloquium cum muliere Samaritana ad fontem, et sanatio filii reguli.

Capite 5-o Curatur langvidus 38 annorum ad piscinam, et Jesus suam dignitatem explicat.

6-o Satiantur 5,000; Jesus ambulat super aquis, et in Capharnaum prolixum sermonem facit de pane, promittens corpus suum in cibum, et sangvinem in potum, vitae aeternae pignus, daturum.

7-o Jesus in festo tabernaculorum docet in templo et sua doctrina ministros ad se comprehendendum missos capit, defenditurque a Nicodemo.

8-o Mulierem in adulterio deprehensam judicat, loquitur de sua divinitate, judaeosque severe redarguit, et periculum lapidationis devitat.

9-o Caeco a nativitate lumen oculorum restituit.

10-o Docet se bonum pastorem, et cum Patre unum esse, non sine indignatione judaeorum.

11-o Lazarum a mortuis revocat, quo facto celebratur consilium contra illum.

12-o Ungitur a sorore Lazari et voce coelesti clarificatur.

13-o In ultima coena lavat pedes discipulorum et sermonem supremum dicit, qui diffunditur per capita: 14. 15. 16. et desinit in orationem cap. 17.

18-o 19-o Passio.

20-o Apparet redivivus Christus Mariae Magdalenae, et bis discipulis, primum absente, deinde praesente Thoma.

Capite 21-o Discipulis in lacu Galilaeae piscantibus denuo adparet, Simoni Petro ter interrogato oves et agnos pascendos committit, exitumque illius, et Joannis praedicit.

§. 33.

Dispositio.

Argumentum nunc expositum ita pertractat Joannes, ut reliqua evangelia lectoribus nota esse supponat. Facit enim interdum brevem ad eventus allusionem, quos ipse non enarravit, ita, ut absque collatione priorum evangelistarum nec plene possit intelligi. Hac autem scribendi ratione primum quidem reliqua evangelia sibi apprime cognita fuisse probat, tum vero relationibus illorum plenam fidem, et auctoritatem defert, nec nisi neglectum hic et ibi ordinem, aut expressionem non satis exactam, quae erronee posset intelligi, indirecte emendat. Patet igitur, non modo tres priores evangelistas mutuo sibi dare testimonium auctoritatis, quatenus in selectu materiae substantiaque narrationis consentiunt: sed etiam Joanni, qui diversa scribit, omnia illa probari, quae in antecessoribus continentur. Itaque quatuor diversi testes loco et tempore ab invicem remoti, plus minus etiam diversae culturae, historiam et doctrinam Jesu Christi certam faciunt.

Ut jam probemus, a Joanne respectum fieri ad tria priora evangelia, sequentia exempla proferimus: Cap. 1. vv. 25. 32. inducit baptistam haec dicentem: „Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de coelo, et mansit super eum," quando autem hoc contigerit, evangelista nuspiam exposuit, sed lectori ex Matthaeo, Marco, Luca notum esse sumsit. Cap. 3. v. 23. injicit mentionem Joannis baptizantis in Aennon prope Salim, subnectens

v. 24.: „Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem“ quae parenthesis in Joannis evangelio sine ratione addita esse videtur, quum auctor Joannis in carcerem conjectionem nec antea, nec postea retulerit. Manifeste igitur ad priora respicit evangelia; et indirecte corrigit eorum, praesertim Lucae praeposteram narrationem, qui scilicet prius detentionem baptistae retulit, quam Christi baptizati eventum narrasset, ut adeo lector, ceterorum evangeliorum ignarus, haud sciret, a quonam Christus baptizatus esset. Cap. 13. v. 2. gravissimam eucharistiae institutionem duabus voculis absolvit: „coena facta“ quid vero in ea contigerit, reticet, quod absque respectu ad priora evangelia tanto minus facere potuisset: quia cap. 6–o promissionem Christi huc pertinentem narravit, proinde lectores circa implementum promissi suspensos relinquere non debebat. Universim autem inexplicabilis foret in Joannis evangelio tot gravissimarum rerum ab aliis descriptarum omissio, nisi eorum lectione satisfieri lectoribus judicasset. Erat enim praesens in plerisque gestis, et tam Christi dignitatem, quam legentium fructum eorum expositione promoturus erat; qualia sunt: resuscitatio filii viduae de Nain, et filiae Jairi archisynagogi, mirabilis piscatio in mari Galilaeae (Luc. 5.) insignia prodigia in morte Christi patrata etc.

In describenda historia evangelica Joannes ordinem temporis tenet, eamque in certas epochas dividit, quarum designationi 4 festa paschatis inserviunt, sub munere Christi publico transacta. Festum quidem 5, 1. non nominat aperte, nihilominus rationes ponderantes pro paschate decidunt. Sunt igitur partes evangelii his terminis defixae sequentes: 1—2, 12. narrantur antepaschalia; 2, 13. — c. 4. impletur epocha primi paschatis; cap. 5. secundi; 6, 4. — c. 11. fin. tertii; c. 12—21. ultimi.

§. 34.

Memorabilia de textu evangelii 4-i.

„Hic est discipulus ille (quem diligebat Jesus) qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus, quia verum est testimonium ejus.“ His verbis ipse Joannes notam sui characteris exprimit, egregie valentem ad commendanda scripta sua, scilicet studium sincerae veritatis. In aliis quidem evangeliis non minus consona sunt omnia veritati, ac in isto: cum tamen Joannes ultimus tractaverit evangelium, et ipse quidem res admodum sublimes, et novas composuerit: reliquis autem veluti sigillum veritatis impresserit: non vane reflectimus ad illam specialem notam Joannis, quatenus veritatis amore flagrabat zelosissimo. Veritas late utique sumta, tam de fide vera, quam de sermonis et vitae harmonia cum veritate, fuit illud ideale Joannis, cuius possessionem omnibus bonis anteponebat. Ideo frequens est in illa extollenda, sive dum ipse loquitur, sive dum Christum inducit loquentem: „Gavisus sum, inquit, valde venientibus fatribus, et testimonium perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.“ (Epist. ad Gaj. 3. 4.) Christi autem verba in evangelio adducit: „Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.“ Tanto veritatis amore veteres etiam animatum fuisse scribunt, ut falsarum doctrinarum seminatores procul fugeret, et cum Cerintho in eodem balneo morari nollet, ne praesente veritatis hoste domus collaberetur. Studium hoc veritatis etiam in evangelio elucet; scribit enim accurate et distingvenda subtiliter distingvere solet. Praecipue miracula sistit exacte cum omnibus adjunctis; dialogisque intersertis viva-

ciora reddit. Determinat eventuum dies, imo horas, praesertim nomina vel numeros, quod eo majorem attentionem excitat, quia ut diximus, in ultima senecta scripsit. Adhibet interpretationes nominum vel dictorum, et sic traditioni exegeticae materiam suppeditat. Narrandi vigore ita lectorem capit, ut non facile deponatur ante finem inchoatae historiae. Exemplo sunt: colloquium cum muliere Samaritana (c. 4.); visus coeco restitutus (c. 9.); resuscitatio Lazari (c. 11.); lotio pedum (c. 13.); et totum caput ultimum. In didacticis instar aquilae in sublime fertur: uti ipsum prooemium evangelii monstrat. Interdum tamen moralia intermiscet, uti in sermone valedictorio ultimae coenae.

Singulare habet Joannes, quod se libenter occultet. Per totum enim evangelium nec semel se nominat, quamvis inter agentes personas, identidem recurrat. Primam obscuram allusionem ad se ipsum videtur facere c. 1. ubi narrat, duos Baptistae discipulos adhaesisse Jesu; alterum eorum aperte designat, nempe Andream; alterum autem reticet, et is putatur ipse Joannes fuisse. Deinde nulla mentio sui usque ad coenam ultimam, quam referens latet sub formula, unus ex discipulis, quem diligebat Jesus, quae postea quoque repetitur, quoties veluti invitus cogitur aliquid de se narrare. Virginea haec modestia accedit ad modestiam Beatissimae Virginis, quae aeque rarissime loquens aut agens inducitur per evangelistas, ita ut interdum cum stupore lector illam desideret; e. g. non memoratur inter mulieres, quae ad sepulchrum properabant; nec legimus divinum Salvatorem suae Matri apparuisse, qnod tamen contigisse quis dubitet?

§. 35.

Memorandi textus et pericopae.

Textus pro usu theologico celebriores sunt:

1) Exordium evangelii, in quo Verbi divinitas (1, 1—3.) et incarnatio (1, 14.) significanter exponitur; praecipue illud: „Et Verbum caro factum est“ usu ecclesiae catholicae quotidiano ab omnibus fidelibus celebratur.

2) „Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei“ (3, 5.) definitus locus, in probanda materia, et necessitate baptismi celeber.

3) Etiam versus 14—16. ejusdem capitis frequenter allegantur in probandis typis messianis, et effectibus mortis Christi.

4) „Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita . . . Qui manducat meam carnem, et bibit meum sangvinem habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sangvis meus vere est potus.“ (6, 51. 52. 55. 56.) Promissio eucharistiae in sensu ecclesiae catholicae, quem verba plana suapte offerunt, offensio judaeorum autem confirmat.

5) „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.“ (10, 16.) Aliquando sectarum finis.

6) „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.“ (14, 16. 17.) Textus pro perpetua praesentia Spiritus s. in ecclesia catholica.

7) „Regnum meum non est de hoc mundo.“ (18, 36.) Frequenter allegatur.

In usu liturgico celebrantur sequentes pericopae Joannis:

a) Exordium evangelii in tertia Missa Nativitatis Domini, et Missis quotidianis ad finem.

b) In coena Domini pericopa de lotione pedum. (cap. 13.)

c) Dominica in albis, apparitio Christi decem discipulis, dein post dies octo a resurrectione, praesente Thoma. (ex c. 20.)

d) Dominica Pentecostes, de Paraclito. (ex c. 14.)

e) In festo corporis Christi, de carne manducanda, et sangvine bibendo. (ex c. 6.)

f) In omnibus Missis de Requiem pericopae evangelicae leguntur e Joanne, in specie in commemoratione omnium fidelium def. (e c. 5.). In die obitus, vel depositionis (e c. 11.). In anniversario, et in quotidianis. (e c. 6.)

§. 36.

Scopuli quidam in evangelio Joannis.

Evangelium Joannis ob singulare suum argumentum tam dogmaticum, quam historicum suapte multos allexit, ut eius expositionem scriberent. Complures igitur licet consulere veteres, et novos exegetas, qui in regia via fidei et morum, per ecclesiae Magisterium complanata, lectorem ab incursu scopulorum tueri valeant. Ex non dogmaticis disputationibus vide v. g.

1) Unde sumsit, et quo sensu adhibuit Joannes vocem λόγος? Respondet praeter alios Patritius Dissert. 8.

2) Quis verus intellectus commatis Joann. (8, 25.) „Tu quis es? Dixit eis Jesus: principium, qui et loquor vobis?“ Vouters p. 258. seq. Et alii.

3) Quis ordo apparitionum Christi post resurrectionem? Exponit quantum ad mulieres, s. Hieronymus ep. 120. ad quaest. 4. 5. 7. Vouters p. 426. fin. libri. — Patritius Dissert. 53. et. l. 2. p. 436 et seq.

Articulus V.

De libro Actuum Apostolorum.

§. 37.

Auctor.

Insignis liber Actuum apostolorum nec in inscriptione, nec per decursum argumenti uspiam exprimit nomen auctoris: nihilominus certa fuit omnium temporum sententia: esse opus Lucae evangelistae, quam hesterna quorundam, paradoxas opiniones quaerentium, dubia nequaquam infregerunt. Est enim tam in traditione, quam in notis internis fundatissima. Pro illa satis fuerit adducere Irenaeum [1]), Clementem Alexandrinum [2]), Tertullianum [3]), Origenem [4]), cum posteriores nec in quaestionem veniant. Imo aequus lector facile etiam in patribus apostolicis deprehendet vestigia et usum Actuum

---

1) L. 3. c. 14. ubi diserte Lucam nominat auctorem, et tam hic, quam alibi complura loca Act. ap. laudat.

2) Strom. l. 5.

3) L. d. jej. de baptis. contra Marc. 5.

4) Contra Cels. 1, 6.

apostolorum, in specie apud Ignatium [1]) et Polycarpum [2]). Si ergo Photius saeculo 9-o diversitatem opinionum memorat de auctore Act. apostolorum, quatenus aliqui Clementem Rom. alii Barnabam eorum scriptorem putent, quos ipse refellit: censendus est imperitorum conjecturas absque reflexione ad traditionem veterem factas enarrare.

Ad notas internas pertinet ipsum exordium libri, in quo auctor eundem Theophilum, cui evangelium 3-um inscriptum est, monet de priori libro a se jam edito. Sed et nexus ipse inter finem evangelii 3-ii et initium Act. ap. eundem indicat auctorem. Prout nempe in ascensione desiit, ita hic ab ea egreditur, ad ulteriorem historiam texendam, filum veluti resumens. Deinde auctor cap. 16, v. 10. 20, 5—15. 21, 1—17. 27, 1. scribit velut qui praesens fuerit. Constat autem Lucam Pauli socium et comitem fuisse. Denique ne in re manifesta prolixi simus, allegamus eandem dictionem, et easdem voces Lucae familiares, [3]) eo tantum observato, stylum ut alibi diximus, in Actibus tantisper puriorem esse praecipue circa finem libri, quam in evangelio universim; cuius rei ratio partim ab exercitio repetenda, partim ab argumento magis proprio, quod liberius poterat tractare, quam doctrinam Christi in traditione vivae vocis, aliisque commentariis jam certis loquendi formulis alligatam.

Difficultates obmotas paucis licet expedire. — Si Ebionitae, Encratitae, et Manichaei librum repudiarunt: dogmaticis movebantur causis, quae in quaestione historica nihil ponderant. Quum videlicet placita sua cum

---

1) ep. ad. Smyrn. c. 3.
2) ep. ad. Philipp. c. 1.
3) Cf. Schott. Isagoge in n. t.

tenore Act. ap. componere non valerent: procedebant ad scripturam vel mutilandam, vel conculcandam, uti exempla docent a patribus notata. Sic Eusebius l. 4. c. 29. de Tatiani et Severi asseclis dicit: „Hi legem quidem et prophetas cum evangeliis admittunt, sed proprio quodam sensu sacras scripturas exponunt. Paulum autem apostolum maledictis impetentes epistolas eius repudiant, ac ne apostolorum quidem Actus suscipiunt.“ Haec Eusebius, quae semel de haereticis protulisse sufficit, ut eorum auctoritas in rejiciendis libris nulla ostendatur.

Difficultas petebatur etiam e prooemio evangelii 3-ii, in quo Lucas ab iis distingvit sese, qui ipsi viderunt, et ministri fuerant sermonis. Atqui, dicunt, auctor Actuum ita scribit, quasi praesens fuerit. Reponimus: distinctio valet quoad magnam partem Act. et quoad totum evangelium. Tunc vero proxime historiam evangelicam habebat prae oculis, et forte de altero libro nondum cogitabat. Minime autem obstant authentiae libri antilogiae, quas allegant, nam sunt adparentes et solvi possunt; aut omissiones quorumdam factorum Lucae bene cognitorum; nam auctor nullibi promittit historiam plenam Pauli, vel omnium apostolorum. Alioquin, si haec exceptio quidquam valeret, nulla historia esset illius auctoris, cui adscribitur.

§. 38.

Actus apostolorum sunt fide digni.

Quantam fidem mereatur Lucas in referendis Actibus apostolorum: hoc argumentis, et exemplis illustrare dignum fuerit operae pretium, quia idem simul evangelium scripsit; si ergo partes historici fidelissime exequitur in hoc libro, denuo cognoscimus, quanam aucto-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 97 von 290

ritate splendeat in altero. Est praeterea liber Actuum apostolorum diploma nobilitatis Majorum nostrorum, cujus ornamenta, et in primis adamantem perfectae fidei in decus et solatium nostrum considerare, semper juvat.

Porro argumentum pro auctoritate historica Lucae maximum in libri authentia positum est. Si enim Lucas apostolorum discipulus et assiduus comes haec scripsit: et si tota scribendi ratio, collata cum evangelio, hominem sani judicii, veritatis amantem solertemque indagatorem manifestat, uti hoc reipsa ex lectione abunde patet, sequitur: a tali scriptore nonnisi verissima scribi potuisse. Sufficiet igitur ad veritatem narrationis in clara luce collocandam exemplis uti, cum historia profana collatis, quo pateat historiam Actuum apostolorum per extensum concordare cum relationibus illis profanorum auctorum, de quarum veritate hactenus nemo dubitavit. Plurimum utique adhibendus est Josephus Flavius, quia est apostolorum aequalis, et scribit de rebus domesticis, nexum magis minusve arctum cum nostra historia habentibus; ast lucem, testimoniumque praebent etiam graeci romanique scriptores.

Legimus igitur Act. ap. cap. 3. Petrum et Joannem ad horam orationis nonam in templum ascendere per portam speciosam, ubi cum claudum a nativitate sanassent, populum stupentem in porticu Salamonis alloquuntur. Ex relatione Josephi tam porta speciosa, quam porticus Salamonis erant in orientali parte templi sibi vicinae; itaque locus bene convenit narrationi Lucae, qui etsi plagam non memorat, naturalem tamen ordinem sequitur.

Memorantur in Actibus apost. tres Herodes, duo reges, etiam Agrippae dicti, tertius tetrarcha (c. 12. 13. 25. 26.) An hi tres eo ordine et loco gesserint principatum, consuli potest historia a commentario Lucae di-

versa. Illa autem historiae biblicae egregie consentit, et si aliquando differt: ulterius examen potius Lucae narrationem confirmat, quam ab ea discrepantem. Exemplo servit interitus Agrippae maioris, in quo narrando Lucas et Josephus nonnihil differunt, apparet tamen Lucam melius informatum fuisse. Lucas e. g. causam exponit, ob quam Phoenicii placare conabantur Agrippam, nempe quia victualia ex Herodis regione mercabantur, quem in finem portum Caesaraeae, ab Herode instauratum, ubi haec aguntur, frequentabant. Ille nomen scit cubicularii Blasti, cuius favore regis gratiam consequi studebant; ambo adjuncta Josephus reticet. De mortis adjunctis autem Antiq. l. 19, 8, 2. haec habet: Occasione ludorum secunda die sub ortum solis Herodes magna cum pompa theatrum petiit, ubi populus eum magnis ovationibus, adulatores autem divinis honoribus excipiebant. Tum apparuit noctua, de qua jam olim praedictum fuerat, futuram esse nunciam proximae mortis, dum secundo apparuerit. Revera Agrippa subito intestinorum dolore correptus, labente eadem die exspiravit. Haec Josephi narratio tribus modis differt a relatione Lucae: 1) quod Lucas angelum ponat, qui percusserit fastum Herodis et de noctua nil dicat; 2) quod effectus percussionis in corrosione vermium, ceu physica mortis causa eluxerit; 3) quod haec eveniant juxta Lucam, dum legatos rex in conspectum admittit, juxta Josephum autem in theatro. Ad primum observamus: angelus ceu invisibile vindictae divinae instrumentum habet analogiam biblicam pro se, et noctuam instar ominis visibilis apparentem non excludit. Ad secundum: Lucas velut medicus, morbum specialius determinat, qui utique cum intestinorum dolore vadit. Ad tertium: Lucas iterum accuratior est, quatenus ceremoniam admissionis legatorum dicit occasionem acclamationis, et poenae divinae

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 99 von 290

fuisse. Jam vero legatos in theatro publico excipere majoris ostentationis gratia non fuit inconsvetum, ut adparet ex Tacito hist. 2, 80. qui de Vespasiano haec refert: tum Antiochiensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est. Ideo etiam Josephus addit summo mane accessisse Herodem ad theatrum, scilicet hora tali, qua ludis nondum initium datum. Haec jam ostendunt, Lucae narrationem non modo sustinere crisim, sed etiam aemulum superare.

Similis est successus collationis in aliis v. g. dum Act. 17, 7. Sergius Paulus Cypri; 18, 12. seq. autem Gallion Achaiae vocatur proconsul; ubi tamen in utroque loco exspectandus potius praetor romanus; proconsules enim nominabantur ad regendas provincias senatorias; Cyprus autem et Achaia erant provinciae imperatoriae. Ast partim nummorum inscriptio, partim aperta historiae romanae relatio extra dubium ponit, ab Augusto Caesare Cyprum et Galliam Narbonensem (Dio Cass. 54, 4.) a Claudio autem Achaiam senatui redditam fuisse (Sveton. in Claudio.).

Act. 16, 12. Philippi vocantur *πρώτη τῆς μερίδος Μακεδονίας πόλις, κολώνια*. Jam hic locus ponit Macedoniam in partes divisam fuisse. Teste Livio 45, 29. Aemilius Paulus eam in 4 partes divisit. Item vocantur Philippi colonia. Coloniam accepit ab Octaviano, ut refert Dio Cassius l. 51. et Plinius hist. nat. 4, 11.

Narratur 16, 14. „Et quaedam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum. colens Deum audivit etc. Thyatira fuit civitas Lydiae, quae provincia a purpurae praeparatione celebratur a Valerio Flacco 4, 368. Claudiano rapt. Proserp. I. 274. Plinio hist. nat. 7, 57. Aeliano hist. 4, 46.

Act. 17. Paulus moratur Athenis; et Lucas rem ita narrat, ut, qui profanos auctores de Atheniensium moribus legisset: calculum perfectae cognitionis cogatur Lucae adjicere. Paulus oberrat per plateas civitatis, et plenam videt statuis et simulacris deorum. Idem affirmant Isocrates, Pausanias, Strabo. In foro invenit epicureos et stoicos, qui primo vilipensionem ostendunt erga hominem peregrinum, sed vincit eos aviditas nova audiendi. Etiam Demosthenes et Thucydides cupiditatem rerum novarum de Atheniensibus ita fere notant, sicut Lucas 17, 21. Paulus orationem in Areopago orditur ab ara ignoto Deo posita, atqui Pausanias etiam, et Philostratus memoriae prodiderunt: aras ignotis diis Athenis positas fuisse. Provocat ad poetam aliquem graecum, et ecce verba citata accuratissime inveniuntur in Arato, nec particula γάρ demta.

Act. 18, 2. dicitur Claudius praecepisse discedere omnes Judaeos a Roma. Rem confirmat Svetonius in vita Claudii dicens: „judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.“

Singularem autem veritatis characterem prodit descriptio itineris maritimi, quo Paulus cum Luca Romam vehebatur. Ibi tam evidens est auctoris accurata cognitio, ut praesentem fuisse, et ubi ubi opportunum erat, diarium scripsisse, fere necessario concludas. Notantur nomina et distantiae locorum per Asiam, Graeciam, Italiam, in quibus facile fuit errare, si auctor historici munus non gessisset. Via illa tenetur, quam naves eo tempore sequi solebant. Ipsa minora puncta, uti forum Appii, et tres tabernae, quae ex Horatio et Cicerone noscimus, viae certitudinem augent. Caritas fratrum obviam euntium, et humanitas a parte Magistratuum, quibus Pauli facta per centurionem, et Publium Melitae gu-

bernatorem innotuerunt, naturalem habent verisimilitudinem. Sed jam satis. *) Videmus historicam fidem Actuum apostolorum in tali luce stare, quae veritatem quaerentibus esse possit maxima, ut quisque in occurrentibus alicubi difficultatibus jure optimo colligat, non Lucam errasse, sed vel deesse subsidia ad illum recte intelligendum, vel a nobis ea ignorari.

§. 39.

Argumentum et consilium.

Augustinus Calmet **) de argumento libri dicit: „Post descriptam vitam, et doctrinam Jesu Christi nullum aliud dignius argumentum tractandum ab illo fuerat, nullum utilius nullum maioris ad ecclesiam momenti, sive exempla spectes ad dirigendos mores, sive institutiones ad doctrinam formandam. Impleta exhibet plura filii Dei oracula, uti de illapsu sancti Spiritus, atque de immutatis ingeniis atque indole apostolorum ejusdem s. Spiritus operatione. Specimen praebet christianae illius perfectionis, cuius ideam omnem implet priorum fidelium vita pariter et disciplina; patent insuper insignia virtutum exempla, quae sub apostolis data sunt; patent prodigia s. Spiritus in redigendis ad fidem gentibus: et super omnia prodigia prodigium illud: constitutae nempe ecclesiae christianae, et regni Dei.“

Dividi potest liber in 4 sectiones. Prima a cap. 1—7. describit fundationem ecclesiae hierosolymitanae; altera ab 8—12. religionis christianae in Palaestina propagationem inter persecutiones; tertia a 13—21, 16. dilatationem evangelii opera Pauli praesertim in exteris provinciis,

*) Qui plura de his desiderat, adeat Hugium et Tholuck: Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte.

**) Praef. in Act. ap.

quo fine tria suscepit itinera apostolica, celebrato inter primum et secundum concilio apostolorum Hierosolymis. 4-a a 21, 17. — finem enarrat Pauli fata post reditum ex itinere 3-o usque ad finem captivitatis primae romanae.

In prima parte praecipua objecta sunt: electio Matthiae in collegium apostolorum, effusio s. Spiritus in festo pentecostes, apostolorum praedicatio, et defensio coram synedrio; Ananiae et Sapphirae punitum mendacium, electio 7 diaconorum, e quibus Stephanus primus martyr occubuit.

In secunda Samaritanorum, eunuchi Aethiopis et Sauli conversio. Petrus inter miracula praedicat et convertit Cornelium gentilem, Jacobus maior capite plectitur. Petrus in carcerem conjicitur.

In tertia describuntur itinera Pauli apostolica per varias provincias comitibus prodigiis, et variis afflictionibus.

In quarta Pauli detentio hierosolymitana, et Caesareensis, iter Romanum, et biennis captivitas Romana.

Absolvitur 28 capitibus.

Multum eruditi laborant in determinando consilio, quo praeclarus hic liber ab auctore sit editus, variaque desuper prolata sunt judicia. Nobis videtur quaestionem hanc subtilius tractari a plerisque, quam res ipsa ferat, votumque dari ex libri argumento potius, quam scriptoris intentione ullo modo cognita. Equidem scopo conforme solet esse argumentum, ita ut a tenore et conformatione libri valeat saepe conclusio ad consilium auctoris: at solus materiarum selectus hoc non efficit. Per exemplum: poterat auctor fatigia Pauli pro evangelio exantlata copiosius referre velle; quin tamen omnia adduceret; hinc in epistolis Pauli leguntur plura, in Actibus haud contenta. Quaesitum operose scopum, et systematicam libri ad illum conformationem minime defendimus; sed quod

suapte se offerebat, ut scilicet Lucas Theophilum de fundatione evangelii jam informatum, in cognitionem ulterioris eius dilatationis vellet inducere, quae cum laboribus Petri et Pauli fuerit maxime promota, fit, ut de illis copiosius agat; a quo autem comes evasit Pauli, de hoc solo historiam texat. Ceterum in selectu materiae, tam huius, quam aliorum librorum sacrorum nequaqam totum ab acuta quadam prudentia scriptoris repetimus, verum etiam a directione divina, quae objecta conformiter scopo generali scripturae adcommodavit.

§. 40.

Tempus et locus editi operis.

In figendo tempore, quo Actus apostolorum conclusi sunt, non est tantam observare varietatem opinionum, quanta circa alios libros obtinet. Limitem nempe ponit finis libri, qui historiam Pauli deducit usque 2-um annum captivitatis romanae. Illud ex hoc fine saltem constat, ante istum annum opus non fuisse conclusum, etiam si diu antea materia libri colligeretur. Negando igitur enunciare licet, quando opus vulgatum non sit. Sed et illud nobis verisimilius videtur, quam contrarium, ante exitum captivitatis absolvisse Lucam, et Theophilo transmisisse suum commentarium; quia sive mors imposuisset finem detentioni, sive, quam Paulus firmiter sperabat, libera dimissio: plus quam sufficientem rationem habebat Lucas exitum illum diserte adnotandi. Idem valet pro illo casu, si Lucas post mortem Pauli, e prima captivitate dimissi, sed postea iterato comprehensi scripsisset. Proinde licet expresse enunciatum non legamus annum nec in Actibus, nec in traditione: haud vane tamen conjicimus, anno 2-do captivitatis elapso, illaque jam ad finem vergente Actus apostolorum scriptos fuisse. Romae

utique, si de tempore recte sentimus, nam illo tempore Lucas Romae morabatur. Idem tenuit s. Hieronymus in l. de Vir. ill. „Aliud, inquit, edidit volumen egregium, quod titulo *Πραξεῖς Ἀποστόλων* praenotatur, cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, idest usque ad quartum Neronis annum; ex quo intelligitur, in eadem urbe librum esse compositum.“ Alii sine idoneis rationibus libri originem vel in Graeciam, vel Antiochiam, aut etiam Alexandriam transferunt.

Locus c. 8, 26. ubi Gaza dicitur esse deserta, seriorem libri originem post mortem Pauli natam sic tantum evinceret, si etiam instauratio civitatis tam celer esset, ut solet esse destructio, vel eversio. Etsi igitur instaurari jam ante annos ceperit Gaza: poterat tamen dici destructa, quin excludatur nova urbis catastrophe circa a. 66, vel plane post mortem Pauli. Ne dicamus d e s e r t a m intelligi posse in textu Lucae etiam viam, quae ducit a Jerusalem in Gazam.

§. 41.

Ordo temporum in Actibus apostolorum.

Liber Actuum apostolorum magno quidem cum selectu rerum et legentium fructu scriptus est, quod tamen in eo desideramus, est annorum uberior determinatio. Non quidem desunt per loca notae quaedam temporum, ut 11, 28. 12, 23. 18, 2. 11. 19, 8. 10. 20, 3. 24, 27. 28, 30. at illae ad eventuum ordinem intelligendum non sufficiunt, nisi cum historia profana conferantur, sed et huius adminiculo quamquam plura licet eruere, plena certitudo in omnibus non obtinetur. Hinc variant sententiae. Nos pro eo, quod varii judaeorum graecorum et romanorum historici censeri haud possint nunquam

in chronologicis notis errasse, item quod in computandis annis, ad plenam veritatem tenendam, clare designandus esset semper terminus a quo et ad quem fiat computatio; hanc autem normam vix ullus historicorum observet: in defigendis annis difficultatem fatemur, et nec aliorum opiniones a nostra diversas ita explodimus, quasi non essent dignae audiri: nec certi aliquid statuimus, ubi rem scire insufficientia argumentorum vetat. Salva igitur meliori sententia in variis annorum definitionibus plerumque sequemur ordinem Patritii, quem traditioni patrum maxime conformem censemus. Illius jam ductu praecipuos eventus in Actibus apostolorum memoratos hisce annis assignamus:

Christi Redemtoris in coelum ascensio 1, 1. anno aerae vulgaris 29
Spiritus s. illapsus in apostolos 2, 1—4 . . . . . —
Martyrium s. Stephani 7, 57—59. 30
Conversio s. Pauli 9, 1—20. 31
Jacobi decollatio, et Petri detentio 12, 1—3. . . 42
Concilium hierosolymitanum c. 15. 47
Pauli comprehensio Jerosolymis c. 21. 53
Ejusdem adventus Romam 56

§. 42.

Memorabilia de textu Actuum apostolorum.

Nihil dignius est mandari memoriae, et frequentissime recoli, quam sunt illi textus huius aurei libelli, qui de moribus primorum christianorum agunt, nempe: 2, 42—47. 4, 32—35. Transscribimus illos, ut hic etiam in oculos incurrant, et per illos cor penetrent: „Erant, inquit, perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus. Fiebat autem omni animae timor, multa quoque prodigia et signa per

apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones, et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidie in idipsum.“ Porro: „Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.“

Ex pericopis ab ecclesia in usu liturgico celebratis duas notamus vix cuiquam ignotas, nempe: initium Act. ap. in festo ascensionis Domini; et cap. 2-o de descensu Spiritus s. in Dominica Pentecostes. Ceterum in officio divino ritus romani Actus apostolorum recitantur post pascha, quod jam tempore s. Joannis Chrysostomi in multis ecclesiis usuvenit, hom. 66.

Ordo Actuum apostolorum in documentis biblicis vix aliquantum variat. Fragmentum Muratorii, deinde Melito, Irenaeus, Origenes et plurima manuscripta hunc librum post evangelia ponunt; occurrit tamen etiam post epistolas vel apocalypsim; at maior est varietas quoad libros post Actus apostolorum positos. Nam interdum sequitur apocalypsis, alias epistolae S. Pauli, in multis autem et antiquissimis epistolae catholicae.

Pro usu theologico frequentissime allegari solet:

a) Cap. 2-um de illapsu Spiritus s. ad probandam apostolorum auctoritatem, dein ad demonstrandum donum lingvarum cum loco parallelo Act. 10-o de Cornelio centurione.

b) 4, 19—20. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, constituunt basim libertatis ecclesiasticae in exercenda cura animarum.

c) Verba Petri ad Simonem magum: „Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri;“ notant infamiam sceleris, quo beneficia ecclesiastica temporalibus muneribus a manu, lingva, et officio venientibus acquiruntur, et simoniae nomine designantur.

d) 12, 5. Habetur exemplum vim legis habens pro praepositis ecclesiae orandi, „Petrus, inquit, servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo.“

e) 19, 18. 19. „Multi credentium veniebant, confitentes, et annunciantes actus suos. Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.“ Exemplum confessionis et publicae satisfactionis.

SECTIO II.

Libri didactici.

§. 43.

Indoles epistolarum biblicarum.

Scripta canonica, quibus epistolarum nomen est, viginti et unum libros efficiunt, ex his 14 Paulum habent

auctorem, alii vero 7, quatuor diversos apostolos, ita ut unus Jacobo, duo Petro, tres Joanni, rursumque unus Judae adscribatur; sunt enim fere omnes ad lectores doctrinis christianis imbuendos comparati. Haec literaria apostolorum cum hominibus conversatio totum ipsorum sensum aperit, quum non arte quaesita, sed plerumque subito oblata, simulationem prorsus excludat. Videmus itaque in ipsis homines utentes hoc mundo, tanquam non utantur, in terris ambulantes, et conversationem in coelis habentes, qui quod praedicatione docebant, hoc etiam in epistolis annunciabant. Praeterea valde memorabilis est forma agendi cum fidelibus, in his epistolis obvia. Modo enim ceu superiores praecipiunt, vel arguunt, modo ceu fratres blande suos demulcent, sui ipsorum penitus obliti, et omnibus omnia facti. Deus est centrum omnium, ad quae epistolae discurrunt, cum illo fit salutatio ab initio, ad illum redit valedictio in fine. Semper in praesentia, et cum timore Dei disponuntur omnia, cui scilicet ratio sit de omnibus reddenda. Dignitas hominis in nullo alio profano opere ita resplendet, sicut ex his epistolis, prout etiam totius generis humani in unam familiam consociatio, in qua sub capite Christo omnes vivunt, tamquam membra corporis unius eiusdemque. Certe sensu nobilissimae philanthropiae perfunditur, quisquis has allocutiones fratrum rite expenderit. Per totum deinde complexum nihil frivoli, nihil occurrit indigni; sive scribantur epistolae ad integros coetus, sive ex camera privatissima ad familiares personas. Quod eo est illustrius, cum artificium omne a compositione vel materiae, vel styli absit, sed prout affectus, vel occasio dictabat: more epistolari tractantur omnia.

In evangeliis igitur legimus, quid et quomodo Christus docuerit: in epistolis vero cernimus apostolos docentes, quorum si haec scripta non haberentur: imper-

fecte nosceremus, quid Spiritus s. in mentibus discipulorum sit operatus, conformiter promissioni Christi: „Paraclitus Spiritus s., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.“ Item: „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille Spiritus veritatis: docebit vos omnem veritatem.“ Cum itaque apostoli complere debuerint doctrinam Christi; merito literae eorum instar epistolae considerantur, quam Deus ad homines misit. Revera divinam originem haec scripta luculente ostendunt. Quomodo enim ab hominibus huius conditionis talis doctrina tradi potuisset?

Porro lectio epistolarum, etsi interdum in difficultates et obscurum sensum impingat: quo magis tamen frequentatur, eo fit expeditior; jucunda vero redditur per intermixta variarum personarum, aut locorum adjuncta, per salutationes, historicas allusiones, ac ethnographicas imagines praecipue in epistolis Pauli. Stylus deinde directus primos lectores veluti coram repraesentat, et facit, ut laudatis congaudeas, castigatos vero excites, aut damnes. Verbo, forma epistolaris librorum didacticorum grata simul est, ac erudiens, quum non laboret ariditate tractatuum, sed ad visum instar colloquii proponenda proponat; proinde hoc etiam titulo divinae providentiae laus celebranda, quod coelestem doctrinam tam svavi et familiari modo communicaverit; simul autem exemplum praebuerit, qua ratione epistolarum usus ad vitae tam praesentis, quam futurae indigentias converti possit et debeat.

§. 44.

Pauli vita et indoles.

Auctorem 14 librorum, nomine epistolarum Pauli, signatorum, qui non novit: nec sensum librorum eius assequetur, nec gestas res rite valebit aestimare. Quare vitam et indolem Pauli, prout in sacris libris continetur, adumbrare juvat, ubi tantum hoc metuimus, ne descriptio nostra longe infra magnitudinem incomparabilis viri, qualem saecula non viderunt, remaneat.

Fuit is Tarso Ciliciae oppido oriundus *) unde Tarsensis appellatur, (Act. ap. 9, 11.) parentibus, qui judaei quidem religione, conditione vero probabiliter opifices, praeterea cives romani, et ut videtur, non ultimae fortunae erant, qui scilicet possent filium Hierosolymam ad institutionem mittere. Ibi Saulus, nam hoc ei nomen erat, a Gamaliele, magnae auctoritats pharisaeo in omni disciplina legis et paternarum traditionum diligenter institutus, tanto eminuit profectu, ut omnes coaetaneos antecelleret. Jam tunc, quid viribus ingenii, et laboris amore valeret, demonstravit. Incidit autem nativitas Pauli in proximos a nato Christo annos, ita ut vix quatuor vel 5 annorum differentia subversari videatur. Adolescens quidem vocatur, dum Stephano lapidato, testium vestes custodiebat, quia tamen in ep. ad Philemonem anno aerae vulg. 57. scripta se vocat senem, vix a vero multum distabimus, si anno mortis Christi ipsum jam 30 vitae

*) S. Hieronymus locum natalem Pauli in Judaeam reponit, et Gischalam vocat; unde Romanis eas plagas vi armorum invadentibus familiam Pauli in Ciliciam migrasse perhibet. At Paulus ipse Act. ap. 22, 3. nudis verbis dicit: „Ego sum vir judaeus, natus in Tarso Ciliciae, nutritus autem in ista civitate.“

annum numerasse ponamus. Constat utique in scriptura etiam adultos vocari pueros vel adolescentes.

Institutione absoluta Judaeam reliquit, et in specie triennium, quo Christus munere doctoris fungebatur, extra Palaestinam agebat; nam nullum est indicium in scriptura, ab eo Christum Dominum, in humanis agentem visum fuisse, quod tamen, si in Palaestina mansisset, evenire facillime poterat. Adest vero Hierosolymis, dum synedrium et populus in christianos numero crescentes exardescit et Stephanum diaconum tumultuarie ad supplicium rapit.

Non otiosum scenae huius spectatorem fuisse, adnotavit Lucas in Act. ap. Testes, inquit, deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, qui erat consentiens neci eius.“ Juvenilis impetus junctus persvasioni de tuenda religione Mosaica, quae per christianos in discrimen conjici videbatur: seduxit male zelantem legis peritum ad facinora legi adversa, per quae ostendit, se, dum doctus et justus haberi volebat, nec doctum fuisse, nec justum. „Ego, inquit, existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere, quod et feci Jerosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi a principibus sacerdotum potestate accepta; et cum occiderentur, detuli sententiam, et per omnes synagogas frequenter puniens eos compellebam blasphemare, et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates.“ (Act. ap. 26, 9—11.) Quibus verbis falsam suam persvasionem, quantumvis in lege fundata fuisse videri poterat, damnat. Idque saepe in vita evenit, ut prudentia humana sit tam a veritate, quam a voluntate Dei aliena, tametsi zelum legis praeseferat.

Non contentus igitur consensisse Stephani martyris neci, porro inquirebat in christianos accepta a principe

sacerdotum potestate in carcerem eos trahens, et dum occiderentur, sententiam deferens. Unde patet, non solum Stephanum morte violenta e vivis esse sublatum, sed et plures martyres, quamquam eorum nomina ignorentur. Imo Saulus ad exteras quoque civitates persecutionem extendit, epistolisque instructus summi pontificis cum sociis Damascum petiit, ut si quos ibi inveniret christianos, vinctos perduceret in Jerusalem. Licet enim Damascus nunc sub Aretae potestate esset: synagogae tamen in suae religionis asseclas jurisdictionem exercebant in causis religionis, et summi pontificis mandata observabant. Civilis nempe lex judaeos legibus avitis frui, et ecclesiasticam independentiam exercere permittebat. Dum eo tendit: prope Damascum subito circumfunditur luce, media die, et una cum comitibus in terram dejicitur. Hi quidem mox erecti sunt et vocem audierunt: ille vero solus intellexit, sibi dicentem: Saule, Saule quid me persequeris? Ad quod ille Jesum apparentem conspiciens, et quid a se fieri vellet, cum poenitentia et resignatione interrogans, in novum hominem est mutatus, evasitque memorabile exemplum operantis gratiae, quae etiam de lapidibus potest suscitare filios Abrahae. Quantum haec in eo valuerit, mox apparuit, dum Damasci ab Anania per impositionem manuum, lumine oculorum restituto, et Spiritu s. accepto, baptizatus esset, moxque in synagogis praedicaret Jesum, confundens judaeos, et affirmans, hunc esse Christum. Iste eventus tam singularis peperit ecclesiae virum, cuius labore et spiritu plurimum aedificata fuit. Si grandia Pauli opera et merita considerentur, nemo negabit: dignum fuisse, ut Deus praeter ordinem sibi adjungeret invictum hunc fidei athletam, cuius totalis, et repentina mutatio, praeterea constans in evangelio praedicando periculorum et laborum supportatio,

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 113 von 290

incitamentum sufficiens nonnisi a mirabili Dei interventu sumere potuit.

Damasco in Arabiam excurrit, unde redux fidem christianam disseminare pergebat; quia vero hoc aegre ferebant judaei, insidias ei struxerunt, in partem suam attracto etiam praefecto Aretae, qui portas urbis observabat. At vas electionis tam cito frangi non poterat; sed a fratribus per murum demissus in sporta, insidias effugit, venitque Hierosolymam ad invisendum Petrum. Cum autem zelum suum, testandi de veritate doctrinae christianae, hic etiam exerceret, et ob id iterum in periculum veniret, divinitus admonitus secessit in Ciliciam. —

Interim crescebat numerus fidelium, praesertim in populosa metropoli Syriae Antiochia, opusque erat gnavis verbi Dei praeconibus, qui verbo et opere sint potentes, et pascant populum Dei. Ad hoc Paulum in primis idoneum esse, perspexit Barnabas, atque eum Tarso evocavit, amboque magnam turbam acquisiverunt Domino. Exorta porro, vel jam grassante fame ab Agabo praedicta, per manus Pauli et Barnabae Antiochena ecclesia stipem misit pauperibus Jerosolymitanis, qua occasione Paulus testis fuit decollationis Jacobi majoris, et inclusionis Petri, postea ab Angelo mirabiliter liberati, a. 42. In reditu vero secum acceperat Joannem, qui cognominabatur Marcus, et brevi post, inter orandum et jejunandum, accepta impositione manuum, traditi erant gratiae Dei a fratribus, missique ad praedicandum. Jamque incipiunt itinera apostolica Pauli, quorum uberior descriptio in Actibus apostolorum continetur. Sufficiat hic loci brevi extractu acta Pauli adumbrare.

In primo itinere (a 42—46. aer. v.) invisit Cyprum et provincias Asiae minoris, Pamphyliam, Pisi-

diam, Lycaoniam, post 4 circiter annos reversus Antiochiam; ubi cum acris contentio fuisset exorta super eo: num legalia Mosaica, et in specie circumcisio sit christianis imponenda: Paulus omni quidem ratione idem hic, quod in provinciis, persvadere conabatur: quia tamen notum erat apostolorum praxim non esse eandem, eo quod aliqui legalia, et ipsi observarent, et ab aliis observari permitterent; Paulo necessitatem eorum impugnante: optimum factu visum est, medio ablegatorum sententiam reliquorum apostolorum, maxime Petri et Jacobi rogare, qui scilicet a partibus judaizantium stare videbantur. E communi igitur ecclesiae Antiochenae consensu Paulus cum Barnaba, Tito et quibusdam alterius opinionis christianis Hierosolymam profectus est ad apostolos, eisque ansam dedit conventus celebrandi, causamque pro parte immunitatis a legalibus dirimendi. Hoc tempore sibi ab iis, qui videbantur columnae esse, nimirum a Jacobo Cepha et Joanne, dextram fuisse datam societatis indicat in epistola ad Galatas, postquam evangelium, quod praedicabat in gentibus, cum eis contulisset, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset. Siquid igitur adhuc desiderabatur auctoritatis ad flectendos illos, qui Pauli, velut ad collegium 12 apostolorum non pertinentis, doctrinae diffidebant, illud per hoc concilium et declaratam approbationem doctrinae Pauli, perfecte completum est. Singularis autem existimatio coram zelatoribus legis ei accedere debuit per insigne encomium, quo in ipsis literis concilii ornatus fuit. Scribunt quippe apostoli et seniores fratres, placuisse sibi collectis in unum eligere viros, et mittere ad eos cum charissimis Barnaba et Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.“ Sic munitus et commendatus, jam majori cum successu, et fortius poterat insistere adversariis, imo Petrum ipsum,

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 115 von 290

incauta conversatione errorem judaizantium quodammodo foventem, Antiochiae reprehendit. Nec multo post novum suscepit iter apostolicum, ordine secundum, ad quod etiam Barnabam invitabat, sed cum iste a Joanne Marco, quem Paulus ob defectum perseverantiae, in primo itinere proditum, hac vice secum assumere recusabat, avelli nollet, Paulus cum Sila profectus est, et perambulabat Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, ubi accepit Timotheum, et circumcidit; Phrygiam, Galatiam, Mysiam, donec veniret Troadem. Hic visione admonitus trajecit in Europam, et ecclesias fundavit in Macedonia, Achaja et Attica, illudque solatium inter multas tribulationes habuit, quod nomen et religionem Christi in ipsum Areopagum inferre et celeberrimis civitatibus, nimirum Athenis et Corintho svave Christi jugum potuerit imponere. Ex hac altera missione descendunt etiam primae eiusdem epistolae, scilicet ambae ad Thessalonicenses, missae Corintho. Redux itinere maritimo, salutavit breviter Ephesum, moxque per Palaestinam rediit in Syriae metropolim Antiochiam, unde forte ante annos 3 egressus fuerat (a. 47—50.)

Tertium iter apostolicum Lucas dicit susceptum fuisse facto aliquanto tempore, quae formula certum profectionis tempus defigere non admittit. Probabiliter tamen eodem reditus anno currente discessit. Ivit autem hac vice per Galatiam et Phrygiam, partesque superiores, venitque Ephesum, ubi duos annos et tres menses magno cum evangelii fructu transegit, cuius doctrinam patratis compluribus miraculis commendabat, ita ut super langvidos deferrentur a corpore eius sudaria, et semicinctia cum effectu sanationis. Nec deerant ex principibus Asiae, qui amicitia, et quod subintelligitur, religione Paulo jungerentur. Ephesi etiam literas ad Galatas et ad Corinthios scripsit, reprimens partim adversariorum male-

sanas doctrinas, partim quaestionibus et dubiis ad se relatis satisfaciens. Interim metus damni temporalis Demetrium auri fabrum incitavit, ut bonorum aeternorum jacturam sibi et aliis causaret, excitando tumultum contra Paulum; qui tempori cedendum ratus, transivit in Macedoniam, indeque alteram ad Corinthios epistolam direxit, in qua sui apostolatus apologiam descripsit. Postea in Achajam divertens, et tum per se, tum per discipulos pauperum necessitati sublevandae studens, postquam Corinthi epistolam ad Romanos scripsisset, cum eleemosyna liberaliter collata tetendit Hierosolymam ad festum pentecostes concelebrandum a. 53. In reditu vero duobus in locis prae ceteris desideratissimam sui memoriam reliquit; scilicet Troade, ubi concione per totam noctem protracta, Eutychum adolescentem e fenestra delapsum ad vitam revocavit; item Mileti, quo seniores Ephesi et viciniae congregavit, eosque oratione suprema, auro cedroque digna, affatus, inter oscula et lachrymas praesentium dimissus est. Quae adhaesionis manifestatio renovata fuit Caesareae, dum ex Judaea superveniens Agabus propheta, zona Pauli suos pedes et manus ligasset, et virum. cuius erat zona, sic alligandum Hierosolymis praedixisset. Fratres enim his auditis persvadere volebent Paulo, ne se Jerosolymam daret. Ille vero animo forti et intrepido processit obviam sorti suae, cuius novit quidem ex praeteritis insinuationibus adversitatem, sed non exitum.

Cum Hierosolymam advenisset, jam ibi nota fuerat plurimorum a Paulo animi aversio, qui e spurio legis amore pericula ipsi creaturi facile praevidebantur, ideoque svasum ei fuit, ut publica alieni voti participatione se haud esse contemtorem legis ostenderet. Ceterum nec hoc imminentem avertit tempestatem. Concitantibus enim asiaticis judaeis impetus in eum factus, certum adtulis-

set exitium, nisi Lysias tribunus cum armatis accurrens, furentium injuriis vinctum eripuisset, postea autem ad declinandas conspiratorum insidias Caesaream per milites deduci jussisset. Ibi coram Felice auditus, nullins quidem mali facinoris culpa notatus fuit, nec tamen liber dimissus; quia Felix aeris avidus, captivitatem Pauli in suum commodum vertere voluit. Prius tamen, quam voto potiretur, provincia decedens, Festum habuit successorem, qui Paulum jam in biennium detentum judaeis tradere volens, interposita ab hoc ad Caesarem appellatione, sententiam mutare, Paulumque tum a se, tum a rege Agrippa et splendido Conventu innocentem agnitum Romam mittere debuit a. 55. Porro iter illud maritimum ad pulcherrimas vitae Pauli epochas pertinet. Apparuit enim plus quam satis, Paulum vere legatum esse Dei, qui non modo innocens, sed et maximorum beneficiorum, tam spiritualium per doctrinam, quam temporalium per opportuna consilia, solatia, et sanationes elargitor agnoscebatur, imperiumque in bestias et morbos exercebat. In adventu autem a Romanis obviam ei procedentibus instar principis salutatus, et cum reverentiae, caritatisque amplexibus exceptus, nullum certe in comitibus reliquit dubium, causam suam altioris ordinis esse, quam ut pro malefactore haberi posset. Quomodo haec causa Romae ab eo cum fructu religionis fuerit sustentata: paucis quidem verbis adnotavit s. Lucas in Act. ap. sed quae conspectum laborum utcunque declarant: „Mansit, inquit, biennio toto in suo conducto et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei, et docens, quae sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.“ Ubi zelum Pauli egregie distingvit illud factum, quod jam tertio die a suo Romam adventu primores judaeorum ad se vocatos veritatis Christianae notitia imbuere voluerit, magis quippe sollicitus

de profectu evangelii, quam sua salute. Nec illa fiducia, et pia industria fructu caruit, semen enim verbi Dei etiam inter medios tribulos copiose excrevit, et exemplum captivi Pauli alios liberos ad imitationem incitabat, prout ipse testatur in ep. ad Philippenses dicens: „Scire, inquit, vos volo fratres, quia, quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent, et in ceteris omnibus et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.“

Porro in supracitatis Lucae verbis indicium nobis contineri videtur, pro felice exitu huius captivitatis. Quamquam enim aperta liberae dimissionis mentio desideretur: certe tamen ea sub adductis verbis facilius intelligitur, quam opposita funesta mors.

Adsunt vero fortiora quoque argumenta pro eo, ut statuamus, Paulum hac captivitate solutum fuisse; est enim violentum, laetissimas tanti apostoli spes, quas omnibus epistolarum suarum lectoribus in perpetuum commendavit, delusas credere.

Jam vero quid potest firmiorem animi persvasionem, maioremque fiduciam praeferre, quam dum apostolus his verbis libertatis exprimit non tam spem, quam exspectationem: „Scio, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei.“ „Confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito“ (Philipp. 1, 25. 2, 24.). „Para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis“, (Philem. 22.). Hanc spem eventu caruisse nemo adhuc certis documentis probare potuit, nec antiquorum aliquis expresse affirmavit. Contra vero Paulum a vinculis absolutum fuisse, tam Eusebius, quam Hieronymus tradiderunt, qui si etiam epistolae 2-ae ad Timotheum capitis 4, 17. versu sen-

tentiam suam confirmant: non sequitur eos illud unum habere argumentum; ipsi enim, ceu viri eruditi, traditionum gnari, veritatem historicam certius exploratam habebant suo aevo, quam recentiores historici, aut commentatores. Ipsa quoque codicum subscriptio, quae ad calcem ep. 2. ad Timotheum legitur, plus probat, quam adversae partis pura putaque negatio. Insigne autem pondus addit assertioni nostrae s. Clemens. Rom. in ep. 1. ad Cor. cap. 5. scribens de s. Paulo suo magistro: ipsum ad occidentis terminos venisse, quibus verbis Italia vel Roma haud apte fuisset designata, sed vel Hispania, quam teste ep. ad Romanos petere volebat, vel alia occidentalis provincia extra Italiam. Illuc autem si venit, post primam utique captivitatem venisse a Clemente ponitur.

Ceterum res ab eo gestas inde a priore captivitate usque ad mortem nullus memoriae tradidit; dignas fuisse Paulo, rebusque anteactis consentaneas nulli dubitamus. Imo e priori quoque epocha complura nos forte latent, quod colligere est ex epistolis Pauli ad Actus apostolorum comparatis. Ibi quippe Paulus plura apostolatus sui fortiter gesta memorat, quae Lucas reticuit; Clemens quoque Romanus perhibet septies vincula fuisse perpessum, quamvis in scriptura non occurrat. Gloriosum denique vitae cursum invictus Christi athleta non minus glorioso fine coronavit, supplicio capitis affectus, imperante Nerone, anno ae. v. 67.

Magna quidem sunt, quae Paulus gessit et pertulit pro religione: at longe excelsior est eius animus, qui e scriptura noscitur, quo perpenso dicere possis, nonnisi finitam naturae humanae conditionem obstitisse, quominus per ipsum orbis terrarum immenso Christi amore conflagraret.

Virtutes eius tam privatae, quam pastorales, et apostolicae pro speculo valent, in quo quisque sui habitus maculas observare, et quot gradibus ad cacumen Pauli contendere debeat, clare possit intueri. Characteris eius praecipua lineamenta facile sunt, fortitudo in agendo et patiendo, juncta humilitati, item zelus evangelii cum pastorali fratrum amore. Jam in juventute, quantum pro religione auderet, ostendit, dum primum quidem ex indiscreto legis mosaicae zelo in christianos vim adhibuit, mox autem meliora divinitus edoctus, pro religione christiana intrepide se periculis objecit, nullis parcens fatigiis, nullis fractus adversis. Versabatur „in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter," praedicabat „in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate." Neque haec adversa sollicite declinabat, sed interdum sponte tolerabat; e. g. Philippis in 2-o itinere, cum flagellationem solo verbo, indicando se civem esse Romanum, potuisset evitare; non fecit; pariterque precibus et lachrymis fratrum ab accessu Hierosolymorum dehortantium tam parum cessit, ut fortissimis verbis responderet: „Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu." — Licet vero laborum suorum conscius esset, sibi tamen nihil tribuit, verum honestatem nominis contra adversarios vindicare contentus, totum gratiae Dei adscripsit, suamque indignitatem publice agnovit. „Ego, inquit, — sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei, gratia autem Dei sum id, quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum." Modestiae singularis documentum praebuit etiam in eo, quod

se orationi fidelium, tamquam auxilii huius indigus, impense commendaret; Philemonem autem, ad recipiendum servum tenerrimis precibus flectere vellet: „Obsecro, inquit, te pro meo filio . . . Onesimo . . . tu illum, ut mea viscera, suscipe, quem ego volueram mecum detinere, . . . sine consilio autem tuo nihil volui facere . . . Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me, si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa.“

Haec ipsa verba jamjam indicant, quali zelo propagandae verae fidei apostolus flagraverit, qui scilicet nullam praetermisit occasionem, nec vinculorum quidem, quin verbum salutis cordibus hominum implantaret, animasque Christo lucraretur. Quam fiduciam, et constantiam Deus tali donavit successu, ut ipsa vincula, Philippis, Caesareae, Romae, et alibi tolerata largissimum evangelii fructum referrent, praesertim apud principes, quos alioquin auditores vix habuisset. Quali autem cum persvasione causam Christi propugnaverit: vel illud unicum effatum luculente docet, quod coram Agrippa rege, Festo procuratore, et illustrissimis proceribus generose dixit: „Opto, inquit, apud Deum, et in modico, et in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his.“ Alii fortasse, de sua securitate solliciti, judicibus tali tempore grata quaeque dicere conarentur: Paulus loquitur de justitia, castitate, et futuro judicio, de prophetis, et resurrectione, seque ita defendit, ut accusatus gratiam non petat, sed tribuat, lumen in auditorum cordibus excitans, quo veritatem salutiferam agnoscerent. Nec praesentes tantum per praedicationem, sed et absentes ad ovile Christi per literas congregare conabatur, cuius apostolici zeli insigne documentum exhibet ep. ad Romanos. „Desidero, inquit, videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos.

Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus. Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum. Non enim erubesco evangelium.“ In tam lato laborum evangelicorum campo, tamque ampla spirituali messe, seu vanae gloriae, seu lucri studium etiam optimum quemque facile poterat adurere: at Paulus ab utroque se procul abstinuit, amore Christi omnia agens, omnia sustinens, quod quum gravissimis verbis testatur: tum opere comprobavit. „Gloria nostra haec est, ait, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei . . . conversati sumus in hoc mundo.“ „Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae: Deus testis est, nec quaerentes ab hominibus gloriam.“ ... Gloriae et praemii loco habuit salutem fratrum, quos intime dilexit, et incessantibus precibus Deo commendavit. Ideo epistolae eius plenae sunt affectu paterno, etiam dum castigat, nam et hoc utique ex amore fecit, nolens perire fratres, pro quibus Christus mortuus est. „Ex multa, inquit, tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis.“ „Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Quis infirmatur, et ego non infirmor, quis scandalizatur, et ego non uror?“ „Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam, si nutrix foveat filios suos; ita cupide volebamus tradere non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Vos enim estis gloria nostra, et gaudium.“

Talis erat apostolus gentium, nulli secundus aut zelo veritatis, aut igne charitatis. Illius veneratione abreptus divus Joannes Crysostomus exclamat: „Quis mihi

nunc dederit, ut corpus Pauli circumplectar; . . . ut pulverem videam oris illius . . . per quod Christus loquebatur, et vox exiliebat quovis tonitru daemonibus terribilior; per quod beatum illud dictum emittebat: Cupio anathema esse pro fratribus meis; per quod loquebatur regibus, nec erubescebat . . . Nec oris tantum, sed etiam cordis illius pulverem videre vellem, quod si quis cor orbis fuisse dixerit, non erraverit . . . adeo latum cor illius erat, ut civitates integras, populos et gentes caperet . . . cor quod Christum ita diligere meruit, ut nullus alius dilexit, quod mortem et gehennam sprevit, et fraternis lachrymis conterebatur. Quid enim facitis, inquit, flentes et conterentes cor meum? Vellem pulverem videre manuum catenis constrictarum, per quarum impositionem spiritus dabatur, — quas videns vipera in rogum cecidit . . . Vellem quoque pulverem videre pedum illorum, qui orbem peragrantes non laborabant, qui terram habitatam et inhabitatam circuierunt, et saepe vias emetiebantur . . . Haec itaque omnia cogitantes stemus generose . . . nec solummodo admiremur ipsum, sed et imitemur, ut mereamur hinc migrantes illum videre, et ineffabilis gloriae consortes esse.“ (Hom. 32. in ep. ad Rom.)

§. 45.

Ordo et divisio epistolarum s. Pauli apostoli.

Inventi sunt codices, in quibus 14 epistolae s. Pauli considerantur velut unum opus, talis est vaticanus B. Ordo epistolarum in plerisque est hodiernus, at alii epistolam ad Hebraeos vel interponunt, vel adnectunt epistolis ad integras ecclesias datis, et syllogen claudunt per epistolas privatis inscriptas. Ordinem vero hodierni canonis non esse ad rationem temporis compositum, e dictis

jam novimus. Vix dubium, quin dignitas ecclesiarum, vel etiam materiarum in ordine disponendo fuerit spectata. Sunt autem ecclesiae 8, ad quas Paulus literas dedit, sed cum olim epistola ad Hebraeos controverteretur, factum, ut interdum 7 ecclesiae numerarentur, quod et s. Hieronymus fecit. Ratione argumenti dividuntur in dogmaticas, morales et pastorales. Primam classem tenent epistolae: ad Romanos, 1. ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Colossenses et Hebraeos. In his quippe potior pars expositione veritatum religionis dogmaticarum occupatur. Alteram epistola ad Philippenses, et duae ad Thessalonicenses, quibus non male adnumeratur epistola 2-a ad Corinthios et ad Philemonem, quia licet illa apologiam et historiam Pauli deducat, ista vero familiaris et privatae epistolae tenorem referat; scopus tamen utriusque potissimum ad moralia tendit. Tandem in tertiam classem reponuntur ambae ad Thimotheum, et illa ad Titum, dictae pastorales, quia officia pertractant praepositorum ecclesiae, intersertis utique etiam diversis. — Ordo successionis non constat de omnibus; nominatim: 1-ma ad Timotheum, et quae est ad Titum, certa temporis nota destituuntur. Reliquae in varias temporum epochas incidunt; nempe: duae ad Thessalonicenses datae sunt in secunda missione Pauli; ad Galatas, ambae ad Corinthios, et ad Romanos in tertia; ad Ephesios, Colossenses, Philippenses et ad Philemonem in prima captivitate romana; ad Hebraeos proxime ab illa; denique 2-a ad Timotheum in posteriori captivitate Romana. Itaque 20 fere annorum spatio, ab a. 47—67 editae erant; 6 in Europam, 8 in Asiam directae (si posterioribus 1-am ad Timotheum, et ad Titum adnumeres). De lingva graeca 13 earundem res est certa; solum de epistola ad Hebraeos veteres dissentiunt. Sunt porro epistolae s. Pauli post evangelia maxime tritae, et saepissime descriptae,

unde hucusque copiosos codices numerant superstites, nempe uncialibus characteribus exaratos 12, et minoribus prope 300. Recte scribit Calmetus: „Post sacrosancta evangelia venerabile maxime, ac ceterorum omnium pretiosissimum monumentum s. Pauli epistolae habendae sunt. Totum in illis continetur, quod formandis moribus, sive ad mysteria ac religionem constituendam, a Jesu Christo traditum est. Tamquam supplementum aliquod et interpretatio eorum, quae Jesus Christus docuerat, ac veluti secundum aliquod evangelium Jesu Christi, e mortuis jam reviviscentis, jure meritoque reputarentur. Etenim nihil aliud docuit apostolus, quam quae a Jesu Christo in gloria sua jam constituto didicerat, quo tempore scilicet ad tertium usque coelum raptus, audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.“ (Prol. in. ep. ad. Rom.)

Articulus VI.

De epistola ad Romanos.

§. 46.

Origo et status ecclesiae romanae.

Quid religio Christi valeret, ostendi oportebat in sede imperii romani occupanda. Nusquam enim plura resistere videbantur obstacula sive politica, sive moralia, si consideres parte ex altera fastum, ex altera vero voluptatum adfluxum, et saecularium negotiorum tumultum. Haec quidem ratio semen verbi Dei, mole spinarum opprimendum: illa vero viles eiusdem agricolas vel non audiendos, vel si quid molirentur, annihilandos indicabat. Nihilominus fides Christi in medio eius thronum ere-

xit, coram quo Dagon idololatriae prostratus crucis trophaeum evasit.

Quando autem prima fidei christianae plantatio Romae sit exorta: incertum; nisi quod credibile sit: jam in festo pentecostes oratione Petri quosdam advenas Romanos edoctos, domum nova doctrinae semina attulisse. Ecclesia tamen constituta, et ordinata non fuit, antequam Petrus Romam venisset. Omnes quippe veteres perhibent, ecclesiam Romanam a Petro fundatam fuisse: cui si etiam Paulus a quibusdam additur, illud de socia opera, serius exhibita, ipsiusque ecclesiae ulteriore consolidatione accipiendum esse, vel ipsa haec, de qua agimus, epistola certum reddit. Jam enim in hac Paulus ecclesiam, laete florentem, nobilibus apostolis ornatam, (16, 7.) fidemque eius in universo mundo annunciatam commemorat, antequam ipse Romam vidisset. At Petrum longe ante Paulum adpulisse Romam, et ecclesiae fundamentum jecisse, traditio omni exceptione maior evincit, cuius fideles testes habemus in Eusebio, s. Hieronymo, et Paulo Orosio, qui unanimiter Petrum sub Claudio imperatore etquidem 2-o imperii eius anno, ut Eusebius et Hieronymus expresse notarunt, Romam venisse, et ecclesiam fundasse scribunt *).

Si de statu ecclesiae ex ipsius epistolae notis judicandum est: ille satis erat prosper eo tempore, quo Paulus ad Romanos hanc epistolam direxit. Nulla enim directa occurrit castigatio, nulli speciales abusus perstringuntur, quamvis dicat, audacius se scripsisse (18, 15.), quin imo integrum caput 16-um plenum est salutationibus, illorum honori cedentibus, quos virtute praecellentes Paulus fama cognoverat, atque distinctis elogiis laudat.

---

*) Vide Patritium.

De toto vero coetu plura honorifica inserit, uti: „Certus sum fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.“ (15, 14.) „Vestra obedientia, inquit, in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis.“ (16, 19.) Nec doctrinae, et adhortationes in epistola contentae certum praebent argumentum pro grassantibus Romae erroribus et vitiis inter christianos; nam eae fluunt ex apostolatu, et zelo Pauli; et scopo praeservandi quoque bene erant adhibitae, non pure sanandi. Ceterum opportunas fuisse pro Romanis in centro omnium errorum, et vitiorum degentibus quis neget? Illud unum valde verisimile fit ex argumento epistolae, bina ecclesiae membra, sc. judaeo- et ethnico-christianos, praejudicia fovisse de potiori suo prae altera parte merito ad vocationem. Apostolus enim huic argumento tractando longius immoratur, quod forte inde est, quia his veritatibus maxime opus fuit ad ecclesiam aedificandam. Ipsa utique eminentia urbis, fomitem debilibus dare poterat ad vanam gloriam, jactationem, cognataque sensa, quae pullulantia christianae fidei et virtutis germina instar pruinae decoquere volebant. Monita moralia, quae minorem epistolae partem efficiunt, generalia sunt, quin ex illis ad statum moralem ecclesiae fieri possit conclusio. Ad reprimendam tamen arrogantiam etiam haec pars collineat, praesertim illa verba: „Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. (12, 4.) Item: Is qui manducat, non manducantem non spernat, et qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum assumsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? (14, 3. 4.) etc.

§. 47.

Argumentum epistolae.

Epistola ad Romanos facile principem tenet locum spectata argumenti sublimitate inter libros didacticos. Altissima enim religionis christianae capita, uti de vocatione ad fidem, praedestinatione, gratia, justificatione, peccato originali, Paulus hic pertractat, satis quidem copiose, simul tamen elocutione difficili, tamquam ipse sermo humanus huiusmodi doctrinis deducendis non esset sufficiens. Ideo jam sancti patres explicationem huius epistolae arduam judicaverunt. Sic s. Hieronymus in ep. ad Algasiam *) dicit: „Omnis epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est, et si voluero cuncta disserere, nequaquam mihi unus liber, sed magna et multa erunt scribenda volumina.“

S. Augustinus autem inchoatam epistolae ad Romanos expositionem abrupit, operis magnitudine, ut fatetur, et labore deterritus.

Constat duabus partibus, dogmatica scilicet et morali. Prior excurrit usque ad finem capitis 11-i. A 12-o autem usque 16-um proponuntur praecepta recte vivendi; tandem capite 16. variae salutationes et comprecationes finem imponunt. In parte dogmatica, postquam praemisisset suae personae, munerisque apostolici mentionem, demonstrare pergit: omnes homines, tam judaeos, quam graecos peccato corruptos fuisse, et Dei gratiam amisisse, cuius corruptionis tam fontem, in peccato originali positum, quam sequelas, nempe praedominantem sensualitatem detegit; utrique autem medelam per solam Dei gratiam, in unione cum Christo obtinendam, adferri docet, ex qua universalis hominum et creaturarum in-

*) T. 1. col. 870.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 129 von 290

stauratio consequitur. *) Celebrata dein magnitudine beneficii per Christum exhibiti, declarat ordinem, vim et efficaciam praedestinationis. Opportune postea transit ad reprobationem judaeorum, quam non esse perpetuam prophetice docet; aliquando enim, postquam gentiles Christo nomen dederint, judaei quoque in ovile Christi resumentur. Haec agit in parte dogmatica. Reliquam variis impendit adhortationibus, praesertim ut modestiae memores, magistratibus, utpote a Deo ordinatis obediant, et mutuam sibi charitatem exhibeant.

§. 48.

Observationes de habitu et textu epistolae.

Argumentum totum est vivaci stylo descriptum, ita, ut intimam scribentis persvasionem, una vero zelum, alios eadem persvasione imbuendi exprimat. Attentionem utique excitare debebat jam illa circumstantia, quod inter medias ecclesiarum a se fundatarum curas, etiam ad hanc remotissimam et sibi ignotam scribat; scribat autem, qua universalis Doctor cum auctoritate, quam e suae divinae missionis conscientia sumsit. Romani igitur fideles, accepta et lecta hac epistola, magnam de Doctore gentium opinionem conceperint, quem hactenus e sola forte fama

---

*) Locus 8, 16—25. in suo genere unicus, de futura instauratione creaturarum, admirabilem continet revelationis christianae doctrinam, praesertim in nexu cum praecedentibus, inde a versu 9-o. Quis physicorum, aut philosophorum unquam talia docuit? Obmutescite cuncti sapientes, qui in schola Pauli non didicistis! Ceterum legantur periochae huius commentatores, e quibus memoramus M. J. Mackium in der theologischen (tübinger) Quartalschrift 1833 S. 601—638.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 130 von 290

noverant; praesertim cum Paulus clare testetur se ardenti eorum desiderio ferri, assiduasque pro illis preces facere. „Testis, inquit, mihi est Deus, . . . quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.“ His accessit libertas docendi ex ipsa epistola conspicua, qui scilicet, nec judaeis nec graecis immerito faveat, et quae sentiat, magna cum παῤῥησία enunciet. Multum hanc illustrat etiam variatio orationis directae cum indirecta, et intermixtae apostrophes vel interrogandi formulae, ut e. g. cap. 2, 1—5. 17—25. Inter ceteras insignis est apostrophe cap. 9, 21. „O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?“ Et alibi: „Quodsi aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pingvedinis olivae factus es: noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas; sed radix te. Dices ergo: fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene; propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time“ etc. (11, 17—20.) Aliquando personam induit totius generis humani, et quod valet de omnibus: eleganter in se ipso repraesentat, quo lectoris consensum rapit. v. g. „Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae . . . Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis huius.“ Graves denique doctrinas tam dogmaticas, quam morales, magna cum humanitatis et charitatis exhibitione concludit, adponendo salutationes ad lucrandum amorem mutuum optime comparatas, dum nominibus plerisque selecta tribuit elogia, totidem virtutis testimonia. Nulli dubitamus, insignem hanc epistolam permultum contulisse ad exhiben-

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 131 von 290

dam illam venerationem simul et charitatem, qua Romani fideles Paulum apostolum, tertio posthac anno supervenientem, quamvis vinctum, amplexi sunt, ita, ut ei ad Forum Appii et tres tabernas obviam procederent.

Nota. Haec portio sacrae scripturae ad s. Augustini conversionem proxime collaboravit, signanter c. 13, v. 13. Quam rem ipse l. 8. Confessionum sic narrat: „Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, et dimisi habenas lachrymis . . . jactabam voces miserabiles: Quamdiu, quamdiu cras et cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meae? Dicebam haec, et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, et crebro repetentis; quasi pueri an puellae nescio, tolle lege, — tolle lege. Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cepi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino audivisse me uspiam. Repressoque impetu lachrymarum surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, et legerem, quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelis, et veni sequere me . . . Itaque concitus redii ad eum locum, ubi posueram codicem apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei. Non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudicitiis, non in contentione et aemulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiae, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebrae diffugerunt.“ (C. 12.)

§. 49.

Consilium s. Pauli in ep. ad Romanos.

Quid Paulus intenderit, quidve eum ad scribendam Romanis epistolam impulerit, auctor ipse declarat, ita, ut non sit opus quaesitis indulgere conjecturis, aut laboriosam instituere notarum internarum collationem. Quod Paulus dicit, characteri eius aliunde noto apprime convenit. Testatur autem de consilio suo hunc in modum: „Nolo, inquit, ignorare vos, fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut in aliis gentibus. Graecis ac barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare; non enim erubesco evangelium.“ Cum igitur hoc fine, quem nunc exposuit, voluerit ad Romanos venire, non potuerit autem: merito judicatur eodem fine scripsisse quoque, proinde volebat debitum sui apostolici officii exsolvere, ut quod in se esset, cunctas gentes ad unitatem fidei congregaret, congregatasque salutis aeternae redderet participes.

Quae autem gens ad ampliorem invitabat messem operarium apostolicum, quam Romana, a fide jam in universo mundo celebrata, et tamen a conversione totius populi sui adhuc procul remota? Alliciebat certe indefessum Pauli zelum tale, ut sperare fas erat, incrementum ecclesiae romanae: at, quia plus illis regionibus edocendis vacabat, ubi Christus adhuc non esset annunciatus: ideo duplici de causa distulit hactenus adventum suum: tum quod occupatus fuerit evangelizandis rudibus, tum quod Romanis jam aliunde ministerium evangelii per alios jam praestitum fuerit. „Nunc vero inquit, ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jam praecedentibus

annis, cum in Hispaniam proficisci cepero, spero, quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.“ Locus iste insignis est, primum quidem ad cognoscendam celerem dilatationem evangelii, ob quam Paulus jam non habebat locum in Graecia et Asia minore novam fundandi ecclesiam; tum ad perspiciendum apostoli singularem prudentiam pastoralem. Non enim volebat offerre Romanis se Doctorem, tamquam doctrinae suae indigis: verum frui se velle dicit eorum benevolentia, et aedificari fide (1, 12.), ideoque tantum transitum suum annunciat. Sic modeste scopum suum extenuat.

Scopus igitur Pauli fuit colligere fructum ex Romanis, sicut e ceteris gentibus; hoc est fidem et virtutem eorum excolendo, regnum Dei ibi quoque dilatare aut confirmare. Hoc autem praestitit, explanando doctrinas fidei gravissimas, et commendando morum officia nomine christiano digna. Hoc pacto simul erroneas doctrinas, aut vitia his opposita correxit, vel saltem lectores fecit cautiores.

§. 50.

Occasio, locus et tempus datae epistolae.

Scripsit apostolus ad Romanos per Phoeben faeminam, constitutam in ministerio ecclesiae, quae est in Cenchris, illo tempore, quo cum eleemosyna in Macedonia et Achaja collecta, proficisci paravit in Jerusalem. Haec adjuncta ex ipsis literis constant. Atqui iter illud susceptum fuit ex urbe Corintho, ipseque portus Cenchreensis, ubi Phoebe ministrabat, ad Corinthum pertinebat: itaque epistola data est Corintho in 3-a peregrinatione apostolica s. Pauli, dum tres menses circiter

exigeret in Achaja, ut legitur Act. apost. 20, 3. Porro reditus e tertio itinere cadit in annum circiter 53-um hinc tempus epistolae satis determinate noscitur. Simul vero patet, hanc epistolam non fuisse tempore primam; aliae enim e 2-a peregrinatione descendunt. Quod nihilominus primum in canone teneat locum: repetendum a sublimitate argumenti, et prima dignitate ecclesiae Romanae, martyrio principis apostolorum, ipsiusque s. Pauli illustratae.

Nota. Haec tanti visa fuit etiam s. Joanni Chrysostomo, ut eam miris laudibus celebraret. Sic enim commentatur in hom. 32. in hanc epistolam: „Propterea ego Romam diligo, quamquam aliunde illam laudare possim a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a populi frequentia, a potentia, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis. Sed missis illis omnibus, ideo illam beatam praedico, quia Paulus et dum viveret, illis scripsit, atque ipsos ita dilexit, ac praesens illos alloquutus est, vitamque ibidem clausit. Ideoque hinc clarior est civitas, quam ex aliis omnibus.... Non ita splendet coelum, cum radios sol emittit, ut Romanorum urbs duas illas lucernas habens per totum orbem lucem emittentes. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Propterea urbem admiror, non propter auri copiam, vel propter columnas, aliumque fastum, sed propter has ecclesiae columnas.“

Articulus VII.

Epistola I-ma ad Corinthios.

§. 51.

Corinthus, et ecclesia Corinthi.

S. Paulus in secunda sua peregrinatione ab Athenis venit Corinthum, urbem famosam, in isthmo Pelopon-

nesi, inter duo maria jonium et aegaeum sitam, Achajae metropolim, quae duobus gaudebat portubus, Cenchreo et Lecheo; ille naves ex oriente, iste ex occidente venientes excipiebat, unde divitiae tam Asiae, quam Europae Corinthum adfluebant, eamque opulentam reddidere. Locus talis pro dilatanda notitia religionis christianae fuit opportunissimus; nam continuus navium commeatus, verbum Dei, famamque miraculorum, quae illius praedicationem sequebantur, in remotissimas orientis et occidentis regiones transferebat. Sed et ipsa Corinthus magnopere opus habebat fermento sanae doctrinae, et virtutis, utpote cuius incolae temporalium bonorum adfluxu capti, partim saeculari philosophia tumebant; partim luxui vitiisque ex eo manantibus vacabant, ita ut jam olim ab hac re male notarentur. Paulus pro more suo disputabat in synagoga per omne sabbatum, testificans judaeis, Jesum esse Christum, contradicentibus autem eis, ut narratur in Act. apost. et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: „Sangvis vester super caput vestrum; mundus ego: ex hoc ad gentes vadam.“ Intravit igitur privatam domum cujusdam Justi, junctam synagogae, ubi post conversionem Crispi archisynagogi cum omni domo sua, aliorumque multorum, Dominus in visione dixit ei: „Noli timere, sed loquere, ego enim sum tecum, et nemo tibi nocebit, quoniam populus est mihi multus in hac civitate.“ Itaque semialtero anno praedicavit in hac civitate, donec reditum in Syriam suscepisset. Fructus praedicationis erant largissimi, nam Deus plantanti et riganti insigne dedit incrementum, concedendo singularia gratiarum munera, quibus ecclesia haec prae ceteris ornata erat, ita ut nomen christianum per illam eximie illustraretur. Post abitum Pauli etiam alii doctores ad fidem hic firmandam laborem contulerunt, in specie Apollo vir eloquens, potens in

scripturis. At urbs, teste Aristide et Athenaeo, abundabat etiam sophistis, qui philosophiam eloquentiae junctam jactabant, et Pauli doctrinam vilipendebant; cumque pro more philosophorum in sectas abirent, occasionem dederunt christianis aliquid simile inter se imitandi, nominaque variorum Magistrorum usurpandi, ita, ut alii dicerent se esse Pauli, alii Apollo, alii Cephae, alii denique Christi. Ceterum quotquot haberent Corinthii doctores: hi jam adventitii vel secundarii erant, fundamentum Pauli perficientes. Ideo scribit: „ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui.“

§. 52.

Causae scribendi epistolam, huiusque argumentum.

Variae erant causae, quibus apostolus ad has literas exarandas movebatur, uti colligere licet ex ipsarum tenore. Cognoverat quippe ex nunciis Chloes agitari dissidia, et a fidelibus varias formari sectas, quae utique unitatem coetus, mutuamque charitatem in discrimen conjiciebant. Ab iisdem, non minus quam a Stephana, Fortunato et Achaico plura quoque de statu ecclesiae percepit minus jucunda, et medelam exigentia. Forte etiam rogabatur ad scribendum; certe quaestiones quaedam per literas ei positae fuerant; uti declarat 7, 1. illis verbis: „De quibus autem scripsistis mihi.“ Quum igitur officium apostolicum suapte quibusvis libenter administraret, multo magis fovere volebat suam propriam plantationem in statu parvulorum relictam, quos lacte nutrivit, non esca. Etsi enim plerique spiritualibus gratiis excellerent, has ipsas tamen, quae ceterum in signum datae sunt, non fidelibus, sed infidelibus, multi more

parvulorum non recte adhibuerunt; quapropter apostolus instructione speciali usum ipsarum ordinat. Dictas itaque scribendi causas ita arripuit, ut simul eas adhiberet ad suos parvulos partim uberius instruendos, partim a variis errorum et abusuum periculis praeservandos. Satis enim ipsa epistola prodit abusus varios, et excessus, qui circa vitam religiosam Corinthiorum ceperant grassari, uti sunt: 1-o frequentatio tribunalium gentilium, ubi christiani non sine contumelia nominis christiani se accusabant, cum possent privilegio a Julio Caesare judaeis concesso uti, vi cuius integrum ipsis erat, causas proprias tam sacras, quam profanas coram arbitris e suo gremio electis dirimere. 2-o. Usus idolothytorum, quo alii tenerioris conscientiae christiani, imo ethnici quoque offendebantur, putantes, christianos contra suam legem sibi hanc licentiam sumere. 3-o. Convivia charitatis, quae in memoriam institutae s. coenae sub nomine agaparum fieri solebant, inordinate celebrata. Scilicet divites egenos negligebant, ita, ut cum rubore cogerentur abstinere. „Unusquisque enim, inquit Paulus, suam coenam praesumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent.“ 4-o. Abusus fiebat cum donis extra ordinem acceptis, quia aliqui ad ostentationem magis, quam ad aedificationem ea usurpabant. His accessit insinuatio memoratae jam scissionis, deinde incestus ab aliquo corinthio patrati, demum cavillationis in apostolatum Pauli a sophistis prolatae; praeter quaestiones, ut videtur, de conjugio, et resurrectione mortuorum positas. Istae igitur erant causae scribendi, siquidem ex medicamentis recte ad speciem morborum concludimus. Hos autem recensentes, jamjam totius epistolae argumentum indicavimus. Praemissa vi-

delicet salutatione, mox incipit redarguere sectarum studium, ostendens, omni illud fundamento destitui, quoniam Christus non est divisus, nec Paulus vel alter pro illis crucifixus. Apostoli enim nihil sunt, nisi ministri Christi, et Dei cooperatores, propter quos non oportet dividi. Haec, interpositis de apostolorum conditione monitis, exequitur usque ad finem c. 4. Sequenti capite 5. castigatur incestus denunciati; 6-o aditus tribunalium gentilium; 7-o proponitur doctrina de coelibatu, et matrimonio; 8-o et 10-o scribit de idolothytis; 9-o suam potestatem et dignitatem apostolicam defendit; 11-o agapas ordinat; 12—14-o usum charismatum; 15-o evolvit doctrinam de resurrectione; 16-o collectas pro pauperibus disponit, et salutationibus concludit. Patet argumentum esse dogmatico-practicum. Nam plures exponuntur articuli fidei, uti efficacia verbi Dei, dignitas et meritum apostolorum (3, 4.); dignitas corporis humani (6.), matrimonii indissolubile vinculum, et coelibatus praestantia (7.), eucharistiae institutio, et effectus; caritatis eminentia, resurrectio corporum etc. Reliqua vero vitam practicam instituunt, quomodo scilicet fugienda fornicatio, cavendum a judiciis gentilium, ab idolothytis abstinendum, si frater scandalizatur; mulieres in coetu sacro velandae, et qua ratione spiritualibus donis recte utendum.

§. 53.

Locus, tempus, et ordo datae epistolae.

De loco natali epistolae 1-mae ad Corinthios omne dubium suffert capitis 16-i versus 5 et 8, ubi haec leguntur: „Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero, nam Macedoniam pertransibo. Permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten.“ Locus ergo, ubi Paulus mora-

batur, dum epistolam hanc mitteret, fuit Ephesus, quod amplius confirmatur ex Actibus apostolorum. Inde enim constat, Paulum antequam in Macedoniam transiret, per duos annos, et tres menses, Ephesi praedicasse, in tertia utique peregrinatione apostolica, nam alia intelligi non potest. Ante secundam quippe non fuit Corinthi, ipsum autem secundum excursum Corinthi finivit, inde redux Antiochiam.

Ex his jam facile de anno statuitur. Paulus quippe tertium iter occepit circa annum 50-um, et transeundo Galaticam regionem et Phrygiam, partesque superiores, venit Ephesum, in qua 27 menses transegit, priusquam in Macedoniam proficisceretur. Si ad pentecosten anni 53-i Jerosolymis comprehensus fuerat: pentecoste, quam Ephesi transigere poterat, ante abitum in Macedoniam et Achajam incidit in annnm 53-um. Huius igitur tempore paschali Corinthios per epistolam convenit, quod inde patet; quia c. 5. v. 7. scribit: „Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.“ Quae verba ad solennitatem azymorum ipso tempore dimissae epistolae celebratam alludunt. Hinc subscriptiones codicum — *ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων* e falsa interpretatione versus 5. c. 16, quem paullo ante citavimus, profectae videntur. Pugnant vero etiam cum 16, 19. ubi dicitur: „Salutant vos ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor.“ Scripta proinde fuit epistola in Asia, et in specie Ephesi, nam ibi Aquila et Priscilla pro tempore habitabant, postquam migrassent Corintho. Cum epistola, vel aliquanto prius simul Timotheus Corinthum missus fuerat, ut habetur 4, 17. „Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, et fidelis in Domino.“ Item e 16, 10. „Si autem venerit Timo-

theus, videte, ut sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur, sicut et ego.“

Quaeri solet, num haec epistola ordine prima sit vel secunda ex literis ad Corinthios datis? Ait enim Paulus c. 5. v. 9. „Scripsi vobis in epistola: „Ne commisceamini cum fornicariis;“ quae verba multi de priori quadam deperdita epistola intelligunt. Sed credi vix potest in eadem ecclesia, quae binas apostoli literas fideliter conservavit, periisse scriptum aliquod apostolicum, cuius apographa non minus fuerint propagata, ac reliquarum duarum epistolarum. Quapropter s. Joannes Chrysostomus et alii graeci interpretes, verba citata de prioribus huius epistolae effatis intelligunt, in specie cap. 5, ver. 11, et 12. Accedit notionem libri inspirati exigere, ut liber eiusmodi ad fines utilitati ecclesiae servientes conservetur; ideo enim peculiari hac praerogativa ornatur. Si ergo scripsisset Apostolus priores literas: illas confidimus conservandas fuisse, nisi forsitan ipse jussisset eas ex ratione quadam speciali sufferri.

§. 54.

Usus theologicus et practicus epistolae 1. ad Corinthios.

Epistola 1-ma ad Corinthios e numero illarum est, quae frequentissime allegantur, sive ad probanda dogmata, sive ad instituendos mores. Textus ceteris magis usitati sunt:

„Judaei signa petunt, et graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum, judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam“ 1, 22. 23.

Quomodo apostoli se adcommodaverint aut paedagogice, aut moraliter, epistola haec disertissime tradit,

in specie: 3, 12. „Ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.“

9, 20—23. „Factus sum judaeis, tamquam judaeus, ut judaeos lucrarer . . . iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem. . . . Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.“

Dignitas corporis humani traditur 3, 16. 17. et 6, 19. 20. qui textus aliunde noti sunt.

Matrimonii indissolubilitas apertissime docetur: 7, 10. 11. 39. „Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Mulier alligata est, quanto tempore vir eius vivit: quodsi dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino.“

Contra, conjunctio inter fidelem et infidelem, si iste cum parte christiana pacifice habitare nolit, solvi potest juxta illud Pauli: „Quodsi infidelis discedit, discedat.“ 7, 15. *)

*) Locum hunc, seu integrum comma 7, 12—17. Dr. Ant. Jos. Binterim, auctor Antiquitatum christianarum etc. sic exposuit, ut matrimonium etiam in dicto casu solvi non posse defenderet. At ubi jussu Gregorii 16. pontificis a. 1832-o edoctus fuisset, thesim suam decretis pontificum et praxi ecclesiae adversari: eandem retractavit, sincere professus: maximam discipuli laudem esse et gloriam, in rebus theologicis a supremo totius ecclesiae Magistro, cui Jesus Christus docendi demandavit officium, edoceri. Vide Binterims Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche. VII. B. 3. Th.

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 142 von 290

Caput 9-um demonstrat thesim pro jure canonico magni usus, nempe: pastores animarum a fidelibus vitae media exigere posse jure divino. Huc faciunt effata sequentia: „Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere.“

Post haec celebris est pericopa capitis 11-i a versu 23-o usque 30-um, quae in Coena Domini sub missa canitur, continet autem institutionem sacrae eucharistiae plenioribus verbis traditam, quam factum sit ab evangelistis, addito monito de digne sumendo corpore et sangvine Domini.

Nihil denique memorabilius capite 15-o nostrae epistolae pro Theologia dogmatica; ubi scilicet resurrectio mortuorum ex instituto demonstratur. In hoc capite est insignis illa lectio varians v. 51. de qua jam saeculo 4-o celebris fuit disputatio, atque s. Hieronymus in epistola 119. prolixe scripsit. Vide etiam Vouters de eadem P. 6.

Notanda insuper sequentia:

Comma capitis 3-ii a v. 13—15 in concilio Florentino de purgatorio animarum statu post mortem acceptum fuit a patribus latinis.

Capite 5-o exemplum occurrit excommunicationis ecclesiasticae. Paulus enim de incestuoso, qui scandalum praebuit, scribit: „Ego . . . judicavi eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.“

Tam istud factum, quam praecepta Pauli de pro-

priis causarum ecclesiasticarum judicibus, de mulieribus in ecclesia velandis, iisque a docendo arcendis, de idolothytis, usu spiritualium donorum, maxime lingvarum, denique de collectis, externam vitae ecclesiasticae formam describunt, et venerandà exhibent externi apostolici regiminis monumenta, e quibus pronum est ad alia traditionis capita in hoc genere concludere. Haec igitur epistola etiam hoc titulo laudanda, quod externa vitae religiosae, et juris ecclesiastici lineamenta suppeditet.

Quaestiones ad acuendum epistolae studium pertinentes:

1) Quid de Pauli more, minus accurate citandi effata veteris foederis tenendum, ut e. g. 1, 20. 2, 9. 16. etc.

2) Quis verborum: „Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die“ sensus?

3) Daturne ironia in scriptura, et 4, 10. estne exemplum eius?

4) Qualem potestatem sibi vindicat apostolus illis verbis: „Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem et sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli, et fratres Domini et Cephas.“ 9, 4. 5.

5) Quomodo baptizati esse dicuntur Israelitae in Moyse, in nube, et in mari? 10, 2. et omnes eandem escam spiritualem manducasse? 10, 3.

6) Quare est viro ignominia, si comam nutriat, mulieri vero gloria? 11, 14. 15.

7) Feritne in genere ministros ecclesiae illud. 14, 38. „Siquis autem ignorat, ignorabitur“, et quid significat ignorare, et ignorari?

8) Quomodo explicabis haec: Quid facient, qui baptizantur pro illis? 15, 29. Vide Calmet Disserta-

tio de baptizmate pro mortuis, et Vouters P. 6. p. 192—196.

Articulus VIII.

Epistola II. ad Corinthios.

§. 55.

Adjuncta originis hujus epistolae.

In priori epistola Paulus varia disposuit, varia etiam correxit auctoritate praepositi obedientiam exigentis, esto sciret, apud Corinthios nomini et potestati suae quosdam detrahere. An igitur voti sit damnatus, et laxata tantisper spiritualia vincula inter patrem et filios denuo convaluerint: hoc incertum relinquere zelus et affectus Pauli non admisit. Ideo cum epistola et forte revertentibus Stephana, Fortunato et Achaico misit Timotheum, carissimum suum discipulum, qui epistolae effectum qua tueretur, qua observaret. Postea vero ex abundanti sollicitudine etiam Titum illuc ablegavit, qui cum ad ipsum rediret, experientiae suae rationem redditurus: enarratione sua Paulo novae epistolae materiam subministravit, huius nempe, de qua agimus. Intelligimus haec ex ipsis Pauli verbis 7, 6—9. 12. 13. „Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi; non solum autem in adventu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram aemulationem pro me, ita ut magis gauderem. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet, videns quod epistola illa, etsi ad horam vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam. . . . Igitur etsi scripsi vobis, non propter

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 145 von 290

eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo, ideo consolati sumus“ etc. Ex his apparet, relationem Titi de effectu primae epistolae Corinthiis favorabilem fuisse. In specie incestuosum ad saniora rediisse, plerosque autem vehementi erga Paulum adhaesione animatos esse, qui igitur praecepta eius nonmodo probaverint, sed etiam impleverint.

Haec movebant Paulum ad significandam super hac rerum conversione laetitiam suam, et ad collaudandum ecclesiae studium aemulandi meliora. Simul vero memor arundinem quassatam non esse conterendam, poenitentem erexit, et ecclesiam super eo contristatam recreavit.

Quia vero jam Troade exspectabat Paulus Titum, non invento autem eo anxius ibat in Macedoniam: certe quamprimum cum eo convenisset, percepta relatione litteras has exaravit. Patet igitur brevi satis tempore post priorem epistolam dimissam hoc factum esse, vix unius anni spatio interjecto. Quod firmatur etiam e loco, unde mittitur epistola. Quamquam enim urbs nuspiam nominetur: ipsa tamen regio Macedonia aperte patet e contextu epistolae. Si autem haec patriam habet Macedoniam; vel idem annus, quo discessit Epheso, vel proximus necessario statuendus, tamquam annus natalis epistolae; cum ordo peregrinationis apostolicae non sinat plus quam annum effluxisse a discessu, ab Epheso usque Corinthum altera vice visam.

§. 56.

Argumentnm.

Epistola II-a ad Corinthios typum refert animi in medio tribulationum solamen quaerentis, partim in beni-

gnitate divina, partim autem in virtute aliorum sibi commissorum. Hinc pro ratione affectus objecta haud certo ordine disposita, sed variis incisis permixta exhibet, initio ducto a memoria calamitatum, quae Paulo quidem nunquam deerant, recenter vero per Ephesinum tumultum largius recruduerunt. Quod cum secus accidisset ac in prima ad Corinthios epistola existimabat: ne Corinthii dicta rei fama turbarentur, mox a salutatione eos occupat. „Benedictus, inquit, Deus, . . . qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita, ut taederet nos etiam vivere.“ Unde sumit ansam se defendendi contra calumniam inconstantiae, propterea sibi illatam, quod data sponsione proximi adventus, antequam iret in Macedoniam, mutavit consilium, et primum in Macedoniam concessit. Antea quippe rebus, adhuc tranquillis, distulit adventum, ut Corinthiis spatium poenitentiae et emendationis relinqueret. „Testem, inquit, Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum.“ Rebus autem Ephesi turbatis facile intelligimus, vel occasionem navigii opportuno momento abfuisse, vel etiam praemissos legatos Timotheum et Titum prius convenire voluisse, quam ipse in persona illuc iret. „Statui inquit, hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Si enim ego contristo vos, et quis est, qui me laetificet, nisi qui contristatur ex me“? (2, 12.)

Redit iterum ad afflictam apostolorum, sed et omnium christianorum conditionem, cuius aerumnas lenit spe retributionis divinae; „nam, ut ait, licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem; id enim, quod in praesenti est, momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in

https://data.onb.ac.at/rep/10775992 Seite 147 von 290

nobis.“ 4, 16. 17. „Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.“ 5, 1.

Capite 6-o de moribus praecipit; 7-o autem rursum de benevola contristatione agit, quam Corinthiis prima sua epistola causavit, et solatio per Titum percepto.

Capitibus 8-o et 9-o ad colligendam stipem hortatur; 10—12-um suum apostolatum contra adversarios egregie defendit, enarrans, quanta sit passus; denique postremo, seu 13-o capite comminatur iis, qui fors obstinatione sua ad exercendam apostolicam potestatem ipsum cogerent.

E deducto argumenti summario apparet, statum ecclesiae corinthiacae a datis primis literis laetiorem quidem evasisse, quin tamen omnia vulnera reficerentur; et ideo Paulus praeter fomenta caritatis et consolationis, adhuc levat virgam correctionis, paratus ad feriendum, si qui nondum resipiscerent. Praecipue vero urget adversarios et cavillatores suos, quoniam hi subvertendo eius auctoritatem, totum fructum praedicationis in discrimen adducebant. Epistola igitur tam moralis est argumenti, quam apologetici.

§. 57.

Eius utilitas, et loca critica.

Utilitas epistolae 2-ae ad Corinthios in probandis veritatibus theologicis vel e sequentibus elucet exemplis:

Judaeos non intelligere scripturam propter obstinationem suam: „Obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo eva-

cuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum; cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.“ 3, 14—16. Textus iste etiam valet ad probandum illud: Credo, ut intelligam.

Judicium post mortem subituros omnes homines, verbis clarissimis docetur 5, 10.: „Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.“

Studium bonae famae probari solet sequenti textu: „Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.“ 8, 21.

At vanae laudis ambitio reprimitur illo loco: „Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.“ 10, 17. 18.

Addimus verba Pauli, quibus potestatem suam vindicat, fatendo tamen, eam in aedificationem, non in destructionem datam esse: „Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, et non in destructionem.“ 13, 10.

Pro theologia mystica memorari merentur sequentes textus.

„Et ego quod donavi, si quid donavi propter vos, in persona Christi, ut non circumveniamur a satana, non enim ignoramus cogitationes eius.“ 2, 10. 11.

Pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.“ 11, 13. 14.

„Scio huiusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in

paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.“ 12, 3. 4.

Reflectere dignum est, ad aliquas Pauli phrases, quae affectum illius, et relationem ad fideles a se conversos ostendunt, uti:

„Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus.“ 3, 2.

„Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.“ 4, 5.

„Ut non existimer tanquam terrere vos per epistolas; quoniam quidem epistolae, inquiunt, graves sunt et fortes, praesentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis, hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et praesentes in facto.“ 10, 9—11.

„Alias ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum; et cum essem apud vos, et egerem, nulli onerosus fui . . . quare? quia non diligo vos? Deus scit!“ 11, 8. 9. 11.

Nota. Ad hanc epistolam spectat undecima ex quaestionibus illis duodecim, quas Hedibia matrona per Apodemium s. Hieronymo resolvendas proposuit. Sic autem habet: Quid sit, quod apostolus scribit ad Corinthios in secunda epistola: „Aliis odor mortis in mortem, et aliis odor vitae in vitam.“ (2, 16.) Hieronymus ad omnes quaestiones respondit in prolixa epistola, quae est in editione Vallarsi 120-a, praemisso prologo, in quo sic exorditur: „Ignota vultu, fidei mihi ardore notissima es. Et de extremis Galliae finibus in Bethleemitico rure latitantem ad respondendum provocas, de sanctarum quaestiunculis scripturarum per hominem Dei, filium meum Apodemium, com-

monitoriolum dirigens, quasi vero non habeas in tua provincia disertos viros, et in lege Dei perfectos“ etc.

Ad ipsam vero supra positam quaestionem responsurus, describit primo integrum locum in nexu cum antecedentibus, ut ex contextu illum declarare possit, qua expositione praemissa tum subjungit: „Et est sensus: Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo, et praedicationis nostrae longe lateque spirat fragrantia. Sed quia homines suo arbitrio derelicti sunt, neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli suppliciis mancipentur: ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum et vitio qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit, aut mortem, ut qui crediderint, salvi fiant, qui vero non crediderint, pereant.“ Confirmat mox per locum parallelum, et illustrat per similitudinem, dicens: „Nec hoc mirandum de apostolo, quum etiam de Domino legerimus: Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel, et signum cui contradicetur — solisque radios tam munda loca excipiant, quam immunda, et sic in floribus, quomodo in stercore luceant, nec tamen solis radii polluuntur. Sic et Christi bonus odor, qui nunquam mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors“ etc.

Articulus IX.

Epistola ad Galatas.

§. 58.

De ecclesiis Galatiae.

Galatia, vel Gallograecia nomen habet a Galatis, seu Celtis qui ex Gallia circa annum 280 ante Christum partim in Graeciam, partim vero in Asiam transmigran-

tes a Nicomede Bithyniae rege recepti sunt, sed cum novas facerent occupationes, tandem ab Attalo Pergami rege inter fluvium Sangarim et Halyn conclusi fuere, ubi penes usum sermonis graeci, quo teste s. Hieronymo omnis Oriens loquitur, propriam quoque lingvam retinuerunt, et agriculturam exercebant. In hanc regionem Paulus in secunda sua peregrinatione apostolica venit. Licet autem Lucas in Actibus apostolorum praedicationis in Galatia hoc tempore factae non meminit, dicens tantum: „Transeuntes Phrygiam et Galatiae regionem, vetati sunt a Spiritu sancto, loqui verbum Dei in Asia.“ 16, 6. certo tamen Paulus in hoc transitu plures ecclesias fundavit, quia dum altera vice veniret ad Galatas, dicitur perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmasse omnes discipulos.“ 18, 23. Epistolae autem inscriptio et argumentum ad Galatas universim pertinens, docet plures hic exstitisse fidelium coetus, itaque Galatas praedicationi verbi Dei dociles aures praebuisse. Idem Paulus ipse laudat in illis, imo testatur se sicut angelum Dei exceptum esse, sicut Christum Jesum, ita ut si fieri potuisset, oculos suos eruissent, et dedissent ipsi. Quae licet de secundo adventu intelligantur, semper tamen Galatarnm promtitudinem et adhaesionem ad religionem christianam probant.

Donec igitur apostolus inter Galatas morabatur: prospera erant fidei apud illos incrementa, spesque affulsit constantiae, cum non obstante Pauli adflictione, sive a morbo corporis, sive adversariis veniente, promtum in omnibus obsequium exhiberent, seque beatos reputarent 4, 13—15. At brevi post facies rerum mutata est. Nempe judaizantes quidam doctores optimo semini, jamque fructum ferenti, superseminabant zizania, et ecclesiam conturbarunt, quos aperte notat illis verbis: „Utinam et abscindantur, qui vos conturbant.“ 5, 12. Sug-

gerebant autem: legalia Moysis instituta, et in specie circumcisionem esse necessariam, ut benedictionis Abrahae posteris promissae fieri possint participes; ad quod facilius persvadendum auctoritatem Pauli deprimebant, provocantes ad reliquos in Judaea apostolos, Paulo praeponendos, qui scilicet ipsum Christum audiverint. Illos enim dicebant legalia observare, et christianis imponere. Quum igitur Pauli doctrina ab eorum institutione deflectat, svadebant, eam ad normam palaestinensem exigendam esse.

Haec ad se perlata Paulus aegerrime tulit, ideoque Galatas a ruina spirituali praeservaturus, hanc, de qua agimus, ad illos epistolam direxit.

§. 59.

Argumentum epistolae ad Galatas.

Argumentum convenit scopo, quem per epistolam Paulus assequi voluit. Erat autem is duplex, nempe Galatas ab ea persvasione, quasi fides christiana sine legalibus ad salutem inefficax esset, revocare, tum suam auctoritatem contra pseudodoctores tueri. Utrumque praestat in epistola non utique juxta determinatum aliquem ordinem, sed prout affectus, et epistolaris libertas ferebat, cui variae digressiones, et parentheses, iterataque thematis resumtio bene conveniunt. Ipsa epistola duas habet distinctas partes, nempe dogmaticam et moralem; illa 4 capita priora efficit, haec duo postrema. In prima post inscriptionem epistolae mox causa scribendi exponitur. „Miror, inquit, quod sic tam c i t o transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Dei in aliud evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi.“ Et hinc sumta occasione incipit ipse tractatus, ostendendo pri-

mum suam, quam Galatis tradiderit doctrinam, esse certam et invariabilem, ita, ut nec ab angelo de coelo possit immutari. Neque enim se ab homine accepisse illam, neque didicisse, sed per revelationem Jesu Christi. Hoc probaturus enarrat suum a conversione vitae decursum, e quo Galatae perspicere poterant ipsius immediatam electionem, paremqne cum ceteris apostolis auctoritatem. Deinde ex rei natura argumentatur, legem vim obligandi amisisse, eique gratiam successisse, cap. 1-o et 2-o. Hanc porro acquiri non per observationem legalium, sed fidem, quae per caritatem operatur, uti probat exemplum Abrahae, cuius filii duo testamenta designant, cap. 3-o et 4-o. Post tractatum subjungit conformes exhortationes ad opera virtutis exercenda, intermixta inconstantiae castigatione, et falsorum doctorum reprehensione. Peculiare habet haec epistola, quod nec in inscriptione memoret aliquem e suis comitibus, nec in fine subjungat salutationes, quae in aliis Pauli epistolis leguntur.

§. 60.

Tempus et locus, quo epistola ad Galatas data est.

Temporis indicium haud negligendum praebet illa Pauli admiratio, quod tam cito Galatae a recto tramite discesserint. Est quidem ista enunciatio indefinita, quae tam longius, quam brevius tempus admittit, quum alicui videri possit hoc cito contingere, quod alteri longum est. Nihilominus aptissime sumitur spectatis adjunctis de proximis duobus annis a Pauli altera apud Galatas commoratione computandis. Certe judaizantium animi Paulo jam a secunda peregrinatione infensi erant, qui proinde absentia illius apud Galatas mox usi fuerint ad invidiam ipsi creandam. Nec enim in postrema tantum praedicatione, cuius pars maior Ephesi transacta est, multa illa

millia judaeo-christianorum, a Paulo abalienata fuere, de quibus dictum erat ei Jerosolymam reverso: „Vides frater, quot millia sunt in judaeis, qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis, audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse.“ etc. Act. ap. 21, 20. 21. — Illis ergo vestigia Pauli ubique prementibus, dicta Galatarum velox transmutatio accidit mox, postquam Paulus Ephesum concessisset, ut adeo vere dici potuerit, cito fuisse mutatos. Hac ratione autem tempus datae epistolae incidit in illud biennium, supra memoratum. Quoniam vero tunc Paulus Ephesi agebat, vix remanet dubitandi causa de loco, scilicet ipsa Epheso, ubi Paulus a Galatis profectus, 27 mensibus aedificabat verbo et opere ecclesiam. Erant, qui Romam pro loco natali epistolae statuerunt. Sed huic conjecturae quum illud obstat, quod ante de subitanea Galatarum transmutatione dictum fuerat, tum repugnat altum silentium de captivitate, quae tamen in omnibus Romae scriptis literis occurrit.

§. 61.

Notatu digna de textu.

Epistola ad Galatas argumenta apodictica pro sequentibus praebet veritatibus:

1) Doctrina evangelica est irreformabilis: „Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.“ 1, 8. 9.

2) Vetus testamentum praeparabat adventum Christi, qui venit in plenitudine temporum: „Lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. 3, 24.

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.“ 4, 4.

Nota. Hujus epistolae locus 2, 11—14. admodum celeber evasit ex longa disputatione inter maximos ecclesiae doctores Hieronymum et Augustinum, super eius recto sensu habita. Hieronymus in suo commentario vestigia Origenis premens, ajebat: Petrum nihil reprehensione digni fecisse, ideoque illam allocutionem: Si tu cum judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare? alios, nempe judaizantes-christianos ferire, quos verbis ad Petrum directis Paulus corrigere voluerit. Augustinus e contra, hanc expositionem veracitati scripturae, quae Petrum reprehensibilem fuisse, et cum nonnullis non recte ambulasse ad veritatem evangelii testatur, adversam censebat, malens Petro errorem facti tribuere, quam Paulo narranti mendacium. — Digna est haec mutua concertatio, cuius historiam in compendio oculis Auditorum subjiciam, ut clarissimo hoc exemplo discant, quam potenter adtrahat corda sacratiorum studiorum cognatio, quamve sanctum sit christianae amicitiae officium veritatis jura sincere tueri. Imo discent hinc, magnorum esse virorum, suum errorem agnoscere, et meliorem sententiam etiam ab illis recipere, qui vel aetate, vel eruditione sint inferiores.

Augustinus, qui Hieronymum de persona nunquam novit, adhuc presbyter lecto epistolae ad Galatas commentario, per literas convenit Hieronymum, in quibus praeter alia haec ponit:

„Legi quaedam scripta, quae tua dicerentur, in epistolas apostoli Pauli, quarum ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur. Ibi patrocinium mendacii susceptum esse, vel abs te tali viro, vel a quopiam si alius illa scripsit, fateor non mediocriter doleo, donec refellantur, (si forte refelli possunt) ea, quae me movent. Mihi

enim videtur, exitiosissime credi, aliquod in libris sacris haberi mendacium; idest eos homines, per quos nobis illa scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia quippe quaestio est, sitne aliquando mentiri viri boni: et alia quaestio est, utrum scriptorem sanctarum scripturarum mentiri oportuerit: imo vero non alia, sed nulla quaestio est. Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.

„Si enim mentiebatur apostolus Paulus cum apostolum Petrum objurgans diceret; si tu cum sis judaeus, gentiliter et non judaice vivis, quemadmodum gentes cogis judaizare? et recte illi videbatur Petrus fecisse, quem non recte fecisse et dixit et scripsit, ut quasi animos tumultuantium deliniret: quid respondebimus, cum exsurrexerint perversi homines, prohibentes nuptias, quos futuros ipse praenunciavit, et dixerint totum illud, quod idem apostolus de matrimoniorum jure firmando locutus est, propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuisse mentitum: scilicet non quod hoc senserit, sed ut illorum placaretur adversitas? non opus est multa commemorare.“ (ep. 28.)

Literas has Augustinus, per quemdam Profuturum direxit ad s. Hieronymum. Interim ille, dum se itineri accingeret, episcopus creatus a profectione destitit, nec multo post etiam vitae huius peregrinatione defunctus est. Epistolam Hieronymo destinatam Augustinus recepit. Scripsit deinde novam, novis accedentibus causis, dumque in illa priorem quaestionem repeteret, hunc in modum ipsam resumsit: